

1771.

7.

1. Buff, Christopherus Ludovicus Hartmannus: Reconducere
jure serenissimorum Hassiae Landgraviorum per Mette-
davian, p. I et generalis: observationes Reconducta,
Graue in Germania origine, et habitu, potiores com-
plexa.
- 2^a Galpert, Christianus Hartmannus Samuel, Ord. Jus. Deca-
nus: honores juris utriusque Doctorales. . . . Christo-
pherus Ludovicus Galliehus Buff. . . ex more nu-
per collatos. . . significat et que. . . Dr. dominus
Moeni quatuor iurisprudens spectat ad serenissimos
Hassiae Landgravios tamquam conites in Petimeli-
bus dicenda restant absolut.
- 2^b Galpert, Christianus Hartmannus Samuel: Ord. Jus. Decanu:
honores Doctorales. . . Ludovicus Iulius Fridericus Hauppus
. . . recte comprehendit istud et: Dr. dominus Moeni,
quatuor iurisprudens spectat ad serenissimos Hassiae
Landgravios tamquam conites in Calimela Saco

Dicere pergit.

2^c Galzert, Christianus Hartmannus Faustus: Friderici Caroli
Schweizer. . . nec non Gerhardi Tilius Kuntzell . . . 3.
sottemissis many. indebet et: Dr. Dominico Moresi, quatuor
nus, in primis species ad serenissimos Harriac laudya-
viro panguam comites in Petimelibus agere incipit.

3. Hoepfner, Ludovicus Tilius Fridericus: Necessitate est fa-
tioris in integrum prouad fitijsorum.

4^o Koch, Dr. Christophorus: De beneficio excursionis tertio
hypothecae specialis possessori competente:

2 Exempl. 1791 - 1783

1772.

1. Buchholz, Georgius Fridericus: An et quatenus paroch
superstitione in communione bonorum universali cum
liberis continuata etiam nulla praecesserit eorum
dem separatio festari licet?

2. Holl, James Leonhardus : De matrimonio cum defunctae uxoris sorore.

3. Leip, Helvetus Bonaventura : Recitationes semestri aestivo habendas indicat et offert atque principia : De jure dictione supremorum imperii tribunalium in causis ecclesiasticis & angllicorum non magis, quam catholiconum non magis, quam catholiconum fundata. — collustrat.

4. Koch, Dr. Christoph, Ord. iur. decanus : Programma de codice manuscripto institutionum Justiniani Imp. ad mare Balticum reperto, quo . . . Friderici Procli Akermann et Georgii Blaehasen Wohlenschaen . . . nec non Iacobi Leonhardi Holl solennis inaugrali induit.

5. Koch, Dr. Christoph, Ord. iur. decanus : Programma de breviario extravagantium Bernardi Picæ Cod. Ms. monaster. biblath. acad. Gress., quo . . . Pauli Friderici Lutheri.

ass. in any . . . De jure resolutionis S. recadentiae mor
. . . et religio religia sollemnis inauguralia inscrit 90

b. Koch, do. Christph: De jure resolutionis S. recadentiae 9. To

7. Koch, Dr. Christph, Ord. iur. Decanus: Programma de fin
centii III. P. R. collectione decretalium prima into
antiquas tortias Cod. ms. membran. biblioth. acac. 3
sensis, quo Dr. Georg Fider. Rumpel et Ioan. Lohr
. . . sollemnis inauguralia inscrit.

8^a et 7^a Koch, Dr. Christph: De pecunia ad emendandum cre
ditia privilegiata et non privilegiata. 2 Sept

1772 et 1782

8^c Koch, Dr. Christph, Ord. iur. Decanus: Programma de
Bonifacii III. P. R. P. R. II Noces libro Cod. ms.
membran. biblioth. acac. Gieseckes, quo -- supre

morum in jure honorum filiae Conrad Schneideri . . .
et gallimis inauguratio iudicis.

J. Schneider, filius Conrad : De quadrante gratiae,
et speciatione, quatenus obtineat in Augustiniano
collegio Camerue Imperialis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-162420-p0010-1

7.

E.27. num. 9.
1772. 11. 8.

19

P. 401

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
QVAESTIONEM
AN ET QVATENVS PARENTI
SVPERSTITI
IN COMMVNIONE BONORVM VNIVERSALI
CVM LIBERIS CONTINVATA ETIAMSI NVLLA
PRAECESSERIT EORVNDEM SEPARATIO
TESTARI LICEAT?
TRACTANS,
QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
OBTINENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS
IN AUDITORIO SOLLEMNI
AD D. XVII. NOV. CIO IOCC LXXII.
PVBLICAE PROCERV M ACADEMIAE
DISQVISITIONI
SVBMITTIT
GEORGIVS FRIDERICVS BVCHHOLTZ
LVBECENSIS.

G I E S S A E,
apud IO. IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.



ГЛАВА ПЯТАЯ
О МЕТОДАХ
И ГЕНЕРАЦИЯХ

МАКСИМУМ ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
ПРИДАЧА ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
СТАВЛЕНЫХ В ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ

МАКСИМУМ ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
ПРИДАЧА ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ

МАКСИМУМ ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
ПРИДАЧА ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
ПРИДАЧА ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ
ПРИДАЧА ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ

МАКСИМУМ ПОДРОДОВЫХ СОЮЗОВ

PATRIBVS PATRIAE OPTIMIS
S. R. I.
LIBERAE REIPUBLICAE LVBECENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
VIRIS
PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, AMPLISSLIMIS
DOMINIS
. CONSVLIBVS
CANONICORVM ORDINI PRAEPOSITO
SYNDICIS
SENATORIBVS
PROTONOTARIO
SECRETARIIS
MAECENATIBVS ET FAVTORIBVS SVIS
OMNIA OBSERVANTIA COLENDIS

PATRIAS HANC EQUITIS
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
INTER ARDENTISSIMA
PRO
PERPETVA CARISSIMAE PATRIAEC
INCOLVMITATE
VOTA
OFFERT
TANTORVM NOMINVM
PROTONOTARIO
SECRETARIUS
OBSERVANTISSIMVS CULTOR
GEORGIVS FRIEDERICVS BVCHHOLTZ.

LECTORI SALVTEM.

Tanta de communione bonorum inter coniuges
scriptionum, libellorum & quae in molem in-
tegrorum voluminum excreuit commentatio-
num commentariorumque farrago, vt, factu-
rusne operae pretium sim, si ad hanc coe-
nam laute satis instructam, symbolam & ego contule-
rim, nec sciam, nec si sciam dicere ausim. Fore autem
plerosque, qui has dapes in ista satietate rerum super-
fluas non solum, verum inutiles prorsus, atque quae
degustentur minus dignas iudicent, dubito nullus; sed
ii cogitent, velim, opiparos inter opimosque subinde in
epulis adponi aciduli nec non austeri saporis cibos, quo
ad cetera fercula excitatior reddatur conuiuarium stimu-
lata cupedo. Vt cunque erit, animum firmat, quod
olim cecinit Venusinus vates (a):

Tres mihi conuiuae prope dissentire videntur
Poscentes vario multum diuersa palato.
quare haud defuturos spero, haec quoque nostra iuue-

(a) HORATIVS II. Epist. 2. 61.

nil licet penicillo exarata & limam vbique exigentia,
aequi bonique consulentes. Et quodsi in tanta scripto-
rum turba mea in obscuro maneat fama, nobilitate
certe, ac magnitudine eorum, meo qui nomini officient,
oppido consolabor. Dari praeterea aliqualis venia solet
necessitatis lege obstrictis, cum quid vires valeant, ne-
que humeri ferre recusent, periculum facere publico
iubeantur specimine. Successit huic altera, cui aeque
parendum erat, obseruantiae summae lex. Dandum
enim id erat consiliis doctissimi, maximeque in me me-
riti, omnibusque virtutibus eminentissimi viri, qui il-
lud elaborarem, prout in fronte Dissertationis positum
cernitur, thema: *an & quatenus parenti superstite in com-
munione honorum uniuersali cum liberis continuata, etiam si
nulla praecesserit eorundem separatio, testari liceat, ut in am
ex votis optimi ac venerandi huius rei auctoris.* Grauem
autem atque in utramque partem disputatam quaestio-
nem intelligo, grauiorem vero mihi vel ideo effectam,
dum non solum angustia temporis inclusus, sed & pra-
etoris laboribus, quibus ut adsueficeret animus, Wetz-
lariae per hoc tempus commorari placuit, distentus,
hunc argumento operam nauare cogor.

Habes, amice Lector! quo ignoscas nostris cona-
tibus. Non te morabimur, amplius enarrando, quis
ordo scriptio futurus sit. Sequemur eam, quam
natura negotii monstrabit viam. Tuum nunc est iudi-
care de ipsa opella: siue laude siue vituperio dignam
existimes, exspecto sententiam: Quid si & dannes,
vras & feces, & illud non refragabor.

§. I.



§. I.

Communio honorum priscis Germanis ignota.

I
neassum saepe in institutorum, a maiores
ribus nostris excoxitatorum, origines
inquirimus, eorumque natales, quem
admodum nostratum nonnullis solem-
ne est, ut illico ad CAESAREM TA-
CITVM QVE, scriptores Romanos, con-
fugiant, & quicquid apud eos aliquam
veri similitudinem habere deprehendunt, obtorto qua-
si collo in suas partes rapiant, ex istis auctoribus ex-
pisci plerumque infelicer laboramus, sic vt omni-
bus tentatis doctam denique ignorantiam profiteri ne-
cessit
A 2



cessit sit. Fateor equidem libellum in primis *de moribus Germanorum* a TACITO descriptum, quo quis auro pretiosiorem, multa continere, quae lectu vtilia, scituque necessaria sunt, adeoque haud temere e manibus sependum esse, quicunque non praesenti solum Germaniae statu politiore sane & multum ab illo vetere distante, cum rerum omnium adfluentia, tum iurium quoque, quibus passim reguntur prouinciae, diuersitate, quicunque, inquam, non hoc solum contentus, horridam siluis paludibusque foedam patriam inuisere gestit, & quae ratio vitae domi, quae illius in pace transactio, quis valor, quae virtus in bello, quis patriae amor, qui mores, quae consuetudines fuerint castissimis illo antiquissimo & simplicissimo aevo Germaniae incolis scire auet: hinc vero arcessere velle, quae demum se- riori longe aetate vsu venere, & hodie statutis per Germaniam, facie rerum in totum mutata, subinde probata visuntur, ac quorundam merito retuleris celebrem inter coniuges passim obtinentem bonorum communio nem, temerarium fore atque exemplo graue non minus confiteri compellor.

Lubens itaque adsurgo eleganti & acutae explicationi, quacum ornatuit CORNELII locum, ubi mulier Germana ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonita resertur (a): *Se venire laborum periculorumque sociam, vir praestante iudicio & solida iuriscognitione excellens*

(a) apud TACITVM de Moribus Germanorum c. 13. GEOR-



5

GEORGIVS LUDOVICVS BOEHMER (b) quem stu-
diorum meorum ducem & auspicem vocare honori du-
co, his verbis coniugalem duntaxat societatem arctissi-
mamque vitae consuetudinem depingere historicum re-
ete contendens. Nempe in hanc legem accipiebatur
vxor, vt secundos aequae ac aduersos vna cum marito
perferret euentus, pari modo studeret rei familiari, tol-
leret liberos suscepitos, atque suo labore statue opera si-
mul concurreret ad coniugii onera sustinenda, ita ta-
men, vt altor maneret familiae ipse maritus, cui vnice
illud dulce incumbebat officium, de alimentis tum vxo-
ri, tum integrae domini propiciandi. Ne enim se mu-
lier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus
putaret, munera dabantur, non ad delicias muliebres
quaesita, sed boues & frenatus equis, & scutum cum
framea, gladioque. Atque inuicem noua nupta viro
armorum aliquid afferens, idem in pace, idem in proelio
passuram ausuramque se sancte promittebat; hoc
enim maximum vinculum, haec arcana sacra, hos con-
iugales deos arbitrabantur.

Contracto matrimonio summa erat reverentia cum
concordia & diligentia mixta, flagrabatque mulier pul-
cherrima diligentiae aemulatione, studens negotia viri
cura sua maiora & meliora reddere. Nihil conspicie-
batur in domo diuiduum, nihil, quod aut maritus aut

(b) in bellissima D. de *Iuribus & Obligationibus coniugis super-*
sitis ex communione honorum vniuersali §. 2. & 6.



femina proprium esse iuris sui diceret (c), & quousque
 scilicet durabat ea casta societas; morte vero viri ista
 dirempta dote a marito vxori in viduitatis videlicet sola-
 tium oblata potiebatur mulier, cuius nulla, ex commu-
 nionis iure, successio. Successores sui cuique liberi,
 si liberi non essent, proximus in possessione gradus;
 fratres, patrui, aurunculi. Coniuges quippe haud me-
 morantur. Attamen communionem bonorum iam tum
 placuisse coniugibus, sunt, qui ex paulo ante memora-
 ta laborum periculorumque societate colligunt. Ita TA-
 CITI verba interpretantur. GROTIUS (d) CHRISTIA-
 NVS RODENBURG (e) aliquae, quos omnes referre
 mora. Alii iterum, miscellionum seu hinc sündorū
 gloriam adscētantes, medii quasi inter adfirmantium ne-
 gantiumque opiniones incedunt, & saltim quoad ac-
 quaestum communionem maiores statuisse defendunt.
 Causam si quaeras, sequentem allegant, ex aequitatis
 penu de promtam. Etenim si femina, onerum matrimo-
 nii socia, commodorum fuisset expers, leonina profecto
 virum inter atque vxorem intercessisset societas, anti-
 quae fidei probitatique gentis vel maxime aduersa.
 Agnosco bellam observationem, quo minus autem ei-
 dem

(c) Ignoscet humanissimus lector, quod verbis COLVSELLAE de re
rustica Lib. XII. praefat. ybi de coniugum romanorum ve-
terum societate agit, fuerim vnius; ad illam germanicam de-
scribendam, cui me hercle ex ase plane respondent.

(d) Antiquit. Reipubl. Batav. Cap. 2.

(e) de iure coniug. praelim. §. 3. sq. pag. 6.

dem subscribere queam, sat graui impedior causa. Primo quidem non nego, etiam commodorum mulierem participem extitisse, non quod aequitatis ratio, sed ipsa coniugii sancta lex illud praecipere videretur. Sponte autem manabant ex illa perpetua vitae consuetudine mutua coniugum officia; viri, nihil non cum dilecta coniuge, cui virtus pro forma, pro dote erat, in usum communicantis; vxoris, ut monstraret, quam digna matrimonio esset, quidquid obsequio, industria, labore parabat, in commune conferentis. An animo forte ea unquam pro parte nanciscendi vindicandique quod sibi in acquisitis dominium competere putaret marita? Minime gentium! id nempe deberi coniugio, viro, liberis, omnino sibi persuadens & haud ignara, nec tum defuturum sibi, unde vitam agere valeat, cum lugere mortem mariti necessitas iussert. Atqui haec ipsa dos alteram rationem suppeditat, quare ab isthac sententia auellor, quae iam TACITI temporibus communionem aquae stus, qualem hodie intelligunt ICri, penes Germanos obtinuisse tradit. Cui autem bono eiusmodi institutum? quid opus mulieri adquisitorum dominio? Forsitan ad leoninam societatem, ut aiunt, praecaendum? quae amabo leonina dici merentur societas, ubi durante matrimonii vinculo summa habetur aequalitas, nullius rei fruitione excluditur femina, ubi par utrinque commodum atque incommodum, at dissoluto conubio post funera mariti viduae tam bene consulitur. Nunquam tale quid in mentem piissimae germanae matronae



tronae venisse reor, vt sui praesertim non vnice matrimonii operando haberet rationem. Et denique qualis acquaestus in tanta maiorum continentia, ne dicam paupertate, cum quilibet sua sorte contentus aria partita per annum coleret (f), pecudemque in saltibus pasceret, in quo opere mulieres neutquam viris cedebant. Nam & ipsas pauisse pecus apud VARRONEM (g) relatum legimus. Verum instas, IVLIVM CAESAREM GALLO-RVM domitorem, proprietatem certae partis bonorum coniuges agnouisse communem, testari: Ita est, sic enim de Gallis (h): *Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta, cum dotibus communicant.* Huius omnis pecuniao coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superavit, ad eum pars vtriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit. Apud Gallos igitur communio vsu seruabatur; sed quid hoc ad Germanos? Regerere quidem te audio, CAESARI quamuis praecipue de Galliae populis sermonem esse constet, tamen eundem mox (i) recensere Germanorum consuetudines, quibus a Gallis differunt, & cum ibidem nullam communionis iniiciat mentionem, exinde haud sine fundamento concludi posse, Germanorum iura, quoad istam communionem conubiale, cum Gallicis institutis, vti in aliis quam plu-

(f) TACIT. de M. G. c. 26. CAESAR de bello Gallico L. VI. c. 20.

(g) de re rustica L. 2. c. 10.

(h) de bello gallico. L. VI. c. 19.

(i) Cap. alleg. C. 20. sq.

rimis, amice conspirasse. Venia sit verbis, hiulcum mihi videtur huiusmodi argumentum a silentio scriptoris petitum, siquidem eodem iure dotes quoque ab vxoribus viros accepisse defendi posset, **IULIO** de dote germanica alte silente, nisi in os obloqueretur **TACITVS**. Et quidni maiori verisimilitudinis specie dicitur, dissidentium asserto id maxime obstare, quod ipse **CORNELIUS** inuestigator germanicarum consuetudinum soler-tissimus nuspiam *κονωπεαγιας* meminerit, quam certo certius, modo vsu exstitisset probata, veluti late distantem a Romanorum placitis, ex quibus maritorum vxorumque bona etiam quoad acquaestum diuisa nec non secreta manebant (k), nequaquam praeteriisset. Porro quis sponsor, **CAESAREM** dum ista de Gallis narrabat, horum instituta satis perquisuisse, magis certe intentum, res suas contra hostem obstinatissimum gestas memoriae mandare, quam nimia & anxia diligentia mores ipsorum scrutari. Viderit **CAESAR** dotes ab vxoribus in iis Galiae partibus adferri, quas suis legibus Romani imbuerant: vt vix credibile sit, idem fecisse ceteros Gallos, quibus minus inquinati & sinceriores mores placebant. Non multum itaque ambigerem, cum **HEINECCIO** (l) putare, Imperatorem, patriis adsuetum iuribus, ea, quae marito vicissim initio matrimonii munera dabat

B

vxor

(k) l. 16. D. de alimentis & cibariis legatis. l. 37. §. 24. ff. de donat. inter V. & U. quibus iungas l. 31. pr. ff. soluto matrimonio &c.

(l) in Elementis juris germanici L. I. tit. XI. §. 233. in not.



vxor, pro dote habuisse, dotem autem veram germanicam in *ārtifex* mutasse. Vt sit, tantum tamen abest, vt fidem CAESARI tanquam testi omni exceptione maiori simpliciter habeamus, vt potius testimonium eius quoad reliquam Galliam valde suspectum arbitremur. Ceterum de Germanis perfunditorie admodum illum re tulisse, vel ipsa eiusdem lectio euincit.

§. II.

Quid medio obtinuit aeuo.

Quandoquidem itaque non adeo certum est, antiquissimo aeuo in Germania communionem bonorum vixisse, ad medium, quod successit, transimus temporum curriculum, visuri, quid de hac re diuersarum prouinciarum leges moresue loquantur. Et iam particularem communionem ratione aquaeclusus connubialis Francis, Wisigothis, Westphalisque, Saxoniae populo, arrisisse, iura eorum scripta declarant. Dum enim a legibus Romanis, quarum nouitate plurimos inescatos fastidium morum patriorum ceperat, metuebant vxoribus suis, quibus re vera haec peregrina placita fraudi erant, quippe in desuetudinem abeunte dote germanica, placuit, defuncto viro, in acquisitorum, id est quaecunque durante coniugii vinculo utrinque collaborata forent, partem vocare mulierem. Adposite lex Ripuariorum (a):

Si

(a) Tit. XXXVII. §. 2. apud GEORGISCH in *Corp. Iuris german. antiqu.* col. 162. Quod autem deinde mutatum Capitular. Caro-



Si autem (vir) per seriem scripturarum ei (mulieri) nihil contulerit, si virum superuxerit, quinquaginta solidos in dominum recipiat, & tertiam partem de omnibus rebus, quam simul conlaborauerint, sibi studeat euindicare. Gemina his disponunt Wisigothorum & Saxonum leges, nisi quod aquid Westphalos dimidia conqueritorum portio (b) mulieri obueniret, apud Gothos autem pars illa secundum facultatum quantitatem possessionemue cuiusque coniugis metiretur (c). Atqui hae sunt fere leges, collaboratio-

B 2

nis

Caroli M. & Ludouici Pii Lib. IV. §. 9. vt tertiam tantum ex acquaestu rerum feudalium vidua caperet partem, reliquae autem res aequa lance inter mulierem heredesque diuidentur. HEINECCIVS l. all. L. I. tit. XII. §. 271.

(b) LEX SAXONVM tit. IX. *De eo, quod vir & mulier simul conquerierint, mulier medianam partem accipiat: hoc apud Westfaloos. Apud Ostfaloos & Angarios, nihil accipiat, sed contenta sit dote sua. Vid. GEORGISCH l. c. col. 461.*

(c) LEX WISIGOTHORVM Lib. IV. tit. II. §. 16. Verba legis, cum ea ob prolixitatem non admitteret textus, hic tamen in margine adscribere iuvat, ita enim comparata sunt, ut ceteris fere ad instar commentarii inseruire possint. *Dum cuiuscunque, ait, dignitatis aut mediocritatis mariti persona & vxoris fuerit nobiliter atque competenter adiurata, & pariter viventes aliquid augmentauerint, vel in quibuscumque rebus quippiam profligasse visi fuerint, atque perueniat, ut unus ex his maioris rei & facultatis dominus sit: de omnibus augmentis aut profligationibus pariter conquisitis, tantam partem unusquisque obtineat, quantum eius facultatem fuisse* *omni*



nis portionem superstite viduae tribuentes. Nam Alamannorum, Burgundionum, Boioariorum, Anglorum, Longobardorum, Frisionumque scita (d) communio-nis nec volam nec vestigium fistunt; sed aut dotes vxori-ribus a maritis constitui iubent, aut non nisi certam bo-norum partem iure vel vsusfructus vel proprietatis mulieri destinant, ut dici possit, toto illo tempore, quod inde a TACITI aetate ad saeculum usque nonum de-fluxit, societatem illam coniugalem plerosque Germaniae populos ignorasse, reliquos vero quoad acquae-stum tantum admisisse.

§. III.

omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat ---.
Nam si evidenter unius facultas alterius possibilitatem trans-gredi videatur, --- iuxta quantitatem debitae possessio-nis erit & diuisio portionis. Quam sibi post uniuscuiusque mortem vindicabit persona superstite & aut filius suis aut propriis re-linquit heredibus, aut certe de ea facere quod voluerit licen-tiam obtinebit. Eadem quoque ordinationis forma tan in vi-ris quam in uxoribus erit omnimodis obseruanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inueniuntur scri-pturae conseciae, iuxta conditionem ipsius scripturae, perti-neat illis & diuisio rei & possessio iuris, apud GEORGISCH Corp. Iur. germ. antiqu. col. 1961. sq.

- (d) vid. HEINECIVM in Element. Iur. Germanici Lib. I. tit. XII. §. 273. ILLVSTR. G. L. BOEHMERVM D. all. §. 6. Ceterum si placet, euolute LEG. LONGOBARDOR. Lib. 2. tit. 4. LEG. BVRGVNDIONVM tit. 24., 42., 62. §. 2. & tit. 74. §. 1. LEG. ALAMANNORVM tit. 57. & nihil inuenies, ex quo verifi-mile fieri possit, etiam apud has gentes in communitate bo-norum vixisse coniuges.



§. III.

Quando bonorum communio vniuersalis Germanis innotuit.

Quod igitur ad natales communionis bonorum vniuersalis attinet, tum sane efflorescere coepit, cum legibus istis desuetudine obumbratis, Germani consuetudine magis, quam iure scripto regerentur, vt adeo, quam antea ratione lucri vel accessionis stante coniugio delatae agnouerant, ad omnia omnino bona deinde extenderent ~~coivonav~~. Hinc factum est, vt & ii populi, quos prius illud ~~europa~~ mere germanicum latuerat, communionem receperint, prout vel fama vel vicinitas hunc morem in adiacentes regiones protruserat, quamuis non vbique idem eiusdem fauor, idemque modus, nec vniuersa vtique hanc consuetudinem adoptauerit Germania. Communionem autem bonorum vterque *Speculator SAXO* (a). aequae ac *SVEVVS* (b) consuetudi-

B 3 ne

(a) I. PROVINCIALE SAXONICVM. Lib. I. art. 31. *Mann und Weib haben nicht gezweyer Gut zu ihrem Leibe. Leib idem significare quod vitam docet Vir per illius ac venerabilis IO. CAR. HENR. DREYER, cuius de salute Reipbl. merita veneratur, quicunque PATRIAE bona precatur, in boris subseciis germanico idiomate conscriptis pag. 68. sq. vt adeo non opus sit cum HEINECCIO in Element. I. Germ. l. all. §. 274. in nota Zobeliana lectionem, quasi nullum habeat sensum, damnare.*

(b) I. PROVINC. SVEVICVM c. 46. *Mann und Weib müggen nicht gehabent Gut gezwayet. & cap. 34. Stirbt einer Frauen ihr Mann:*



ne inducram probatamque testantur; Neuter enim legislatoris partibus defungi voluit, sed ambo in colligen-
dis describendisque moribus ac consuetudinibus maxi-
mo commodo Iurisprudentiae germanicae felicem ad-
modum posuere operam. Vnde colligitur, iam ante
speculatorum aetatem vsu obseruatam fuisse illam patri-
moniorum inter coniuges communitatem, quamquam
temporis punctum, quo illius origines acceperint, in
tanta rerum obscuritate, scriptorumque inopia assequi
haud valeamus. Veritatem saltem huius asserti enun-
tiant variae paroemiae, quarum ope maiores nostri iu-
ra consuetudinaria propagare ad posteros solebant, vel-
uti *Hut bei Schleyer*, *Schleyer bei Hut*, vel *Leib an Leib*, *Gut an Gut* (c) & penes Belgas adagium: *Man ende Wyf hebben geen verscheyden Goet* (d) donec tandem insequenti tempore, ne saluberrimae interirent
consuetudines, eas litteris mandandi, cum status impe-
rii, tum in primis ciuitates germanicas, Imperiales non
minus quam municipales, nobilissima incederet cura.

Hinc

Mann: Sie bleibt in des Mannes Gut ungetheilet mit ihren Kindern.

(c) Vid. HERTIVM in paroemiis iuris germanici L. I. paroem. 69 & quas tum ad communionem bonorum, tum ad successio-
nem coniugum euincendam copiosa manu adstruxit & interpretatus est varias dictiones Cel. IO. FRIED. EISENHART in den Grundsaetzen der teutschen Rechte im Spruechwoertern. Sect. 2.
n. 12., 16., 18., 20.

(d) Hanc illustrat ANTON. MATHAEVS in paroemiis belgicis paroem. 2.

Hinc multa vel condita, vel in scripturam primum redacta sunt urbium praecipuarum statuta, atque haec inter celebria ALMAE PATRIAE & aequissima iura, de quorum auctore mire Doctores dissentunt. Alii enim Friedericum Barbarossam, alii Albertum Ducem de Bardewik latitant; sed verior eorum sententia habetur, qui Henrico Leoni Bauariae & Saxoniae Duci ciuitatem suas debere leges affirmant. Quam in rem luculentum plane est Arnoldi Lubecensis testimonium. Nam cum Henricus Dux dissideret ab Imperatore, atque ea propter proscriptus, Lubecensium urbem Friderico I. eandem occupanti, cedere cogeretur, priusquam ciues Imperatori aperiissent ciuitatem, exiisse ad eum, refert ARNOLDVS (e) rogantes, ut libertatem ciuitatis, quam a
Duce

(e) in *Cchronico Slavorum Lib. II. c. 35. (40.) apud LEIBNITIVM T. II. Scriptor rer. Brunsvicens. p. 651.* Accedunt testimonia locupletissima, praefationes puta praefixa codicibus illis iuris Lubecensis, quibus ciuitas Tunderenses non minus, quam ordinem Teutonicum in Livonia ditauit, vbi diserte, *Ius Lubecensem datum, dicitur, ciuitati ab Henrico Leone, confirmatum autem a Friderico Barbarossa, nec non a Friderico II.* Vtriusque Imperatoris priuilegium quaere, apud LVNIGIVM im Reichs-Archive continuat. 4. pag. 1330. & 1333. & apud MOSERVUM im Reichsstaedtischen Handbuche Tom. 2. pag. 161. & 164. Memoratas autem praefationes Codicum exhibent 10. SIERANDVS in *Vrbis Lubecae & Anseaticarum ciuitatum Iur. publ. Lib. I. Sect. 10. n. 30.* HEINRIC. MEIBOMIUS in *Introductione ad Saxonicae inferioris imprimis historiam* pag. 85.
His



Duce prius traditam habuerant, obtinerent, & *Institias*, quas in priuilegiis scriptis habebant, secundum *Iura sofatiae* & *titulos*, quos in *syluis*, *pascuis*, *fluiis* possederant, ipsius auctoritate & munificentia possiderent. Annuit Friericus ciuium votis, & Vrbi vna cum libertate leges statutaue in posterum condendi, confirmationem iurium nec non priuilegiorum ex concessione Ducis Henrici impetratorum indulxit. Id quod Anno MCLXXXVIII. factum est, repetitumque deinde Anno MCCXXVI. a Friederico II. Imperatore, qui Imperator priuilegiis urbis adiecit quoque inestimabilem libertatem, vi cuius speciali dominio exempta, ad dominium Imperiale solummodo pertinere sibi in hunc vsque diem gratulatur (f). Nunc quidem nostri non est instituti, iuris patrii contexere historiam aut sciagraphiam aliquam dare (g),

verum

His addi debent *Gründliche Nachrichten von der Kayserlichen Freyen und des Heil. Roen. Reichs Stadt Lübeck cap. 39.* & *Celeberr. DREYERI Einleitung in die lübekischen Verordnungen pag. 200.*

- (f) Euolua^s quae^olo Celeberrimi *Viri CHRIST. GOTTL. RICCI* zu verlaessigen Entwurf von *Stadtgesetzen* L. I. c. 5. §. 1. sq. & *Venerab.* atque *Illustr.* I. C. H. DREYER in der Einleit. in die *L. V.* pag. 43. & 207. vbi docte interpretatur locum Arnoldi Lubecensis supra exscriptum.
- (g) Pete illam a *BRVNQUELLO* in *bistor. iur.* p. 4. c. 7. §. 3. *HEINNECCIO* in *bistor. iur.* L. 2. c. 3. §. 88. aliisque. Pleniores vero historiam iuris patrii adornarunt *IO. LVD. STEIN* in der gründ-

Verum illud silere nequeo, ita hoc ius placuisse vicinis
maxime maritimis vrbibus, ut magno passim plausu
exciperetur, quod in specie de Tunderensi, Stralsun-
densi, Wismariensi & Rostochiensi dictum esto (h). Ad
fontes autem, quod attinet, vnde conflatum fuit ius
Lubecense, itidem eos hoc loco exquirere lubens su-
persedeo, siquidem in vulgus constare reor, ex mori-
bus consuetudinibusque Germanorum antiquorum, im-
mo & Sosatiae iuribus, non quidem ut haec ut ectypion
ac scaturiginem iuris patrii esse existimem, sed quate-
nus exemplar haberentur, secundum quod lex ciuitatis
intuitu iudiciorum vel oeconomiae publicae sive foren-
sis, compонeretur, fuisse desumptum, ad quae subinde
variae accessere accessiones, peregrinae etiam, veluti ex
Iuris Romani atque Canonici latifundiis petitae, (i)
quae omnes virorum prudentissimorum diligentia col-
lectae, longa & matura deliberatione digestae, ac ma-
gno ingenii acumine formatae reformataeque egregium

C denique

gründlichen Abhandlung des lubischen Rechtes, im Vorberich-
te §. 1. sqq. ERN. IO. WESTPHAL D. de origine & fontibus
Iuris Lubecensis, eiusque usq; auctoritate, elogio, fontibus &
fulsidiis & denique WOLFGANGVS ADAMVS SCHOEPE in praefat.
praemissa MEVII Commentarius in ius Lubecense, Franco-
furti A. 1744. in lucem vice quinta editis.

(h) ampliss. catalogum locorum, vbi viget ius patrum, exhibent
c. RICCIUS l. c. cap. 6. & qui primo loco nominandus erat,
Ill. & ultra meas laudes euectus DREYER l. all. p. 274. 2.

(i) Cf. Viri Excell. DREYERI Einleit. p. 202. sqq.



denique illud Legum Lubecensium corpus, quod hodie inter Germaniae iura e praecipuis habetur, peperunt. Quamvis vero nouam ac prorsus alienam a vetere illo & ob id longe simpliciori iure induerit faciem, multa tamen integra, nec peregrinis institutis commixta, ibidem reperies, quorundam merito bonorum communitatatem inter coniuges referas. Talem enim etiamnum penes nos seruari, quam olim viderit aetas, id est, puram, genuinam, & quae omnia coniugum adficit bona, pro certo affirmare haud erubesco. Et sic reuersi sumus ad communionem bonorum, cuius indeolem patricis inuestigare iuuabit.

§. IV.

Communionis bonorum notio atque distinctio.

Ac primum quidem, tametsi solerne est de aliquâ re tradentibus, legitimae definitionis pompa scriptio[n]is suae argumenta quasi in conspectum deducere, necesse tamen non puto, in exponendo vim atque naturam communionis bonorum multam insumere operam. Neminem quippe fugit, variam communionis bonorum constitui posse notionem, ut mox pro *iure*, mox vero pro *societate coniugum*, ipsa accipiatur. Prior sane visio repraesentat dominium utrique coniugi coniunctim ac indiuisim in alterutrius bonis matrimonii ergo competens. Altera vero societatem eam sifit, in qua proper coniugium bona singulo coniugi propria esse desinunt, & vincunque respectu illorum unum idemque enascitur ius.

ius. Quae igitur vxoris fuerunt, iam & mariti sunt, & contra, mariti bona dominio etiam subiiciuntur vxoris, atque proinde non nisi vnum dominium est, aequa praestans ab vna quam altera parte. Res hercule inaudita Romanis, & auribus latinis admodum inconcinna, vnius rei plures haberi in solidum dominos. Vnde patet, parum accurate aestimari e Romulidarum scitis nostrae communionis indolem, nec non secundum societas contractum tanquam absolutissimam normam metiri illius instituti naturam (a). Deserbut nimis iste feruor, quo olim negotia, Germanis solummodo propria, ad decempedam iuris peregrini decidebantur, nihilque ratum pensumque existimabatur, nisi cuius ratio e fonte sapientiae romanae deduci posset. Quae consuetudo quantam confusionem peperit, quantam intulerit cladem iuri germanico, vel ipsa passim statuta testantur. Ne vero extra oleas vagari dicamus, subsistimus circa communionem, de qua hic nobis sermo. Et licet haec tot scatulis repetita, ac denuo confirmata deprehendatur, eius tamen rationem in omnibus par modo definitam perperam quæsieris, multum ad diuersitatem illius vel morum varietate, vel compilatorum

C 2

torum

(a) Vide sis IO. BRABAND. ENGELBRECHT *D. de mutuo coniugum concursu ad soluendum aes alienum ante nuptias ab alteruero conflatum* §. 6. & quae in eandem rem IVSTVS VERACIVS belle disputat in libello consuetud. Bamberg. P. 2. quæst. 12. apud IO PETRVM a LVDEWIG in scriptor. rev. Episcopat. Bambergensis Vol. I. p. 958.



torum peritia aut imperitia, vel denique iurium peregrinorum admixtione conducentibus. Hinc alia genuinam communionis indolem seruant, alia iuris peregrini centones adiutos referunt. Alia iterum condominium ad vniuersa vtriusque coniugis seu ad praesentia & futura bona porrigunt, alia e diuerso aliquam patrimonii partem esse communionem iubent, vel ita, vt facultatum partem certam & determinatam, vel duntaxat opera, industria, labore & arte quaesita parataue, *errunge ne, geworbene Güter*, communioni subdant, ceteris bonis, videlicet successione delatis, geerhte, *angeftorbene Güter*, societate coniugali exemitis (b). Inde manauit notissima communionis bonorum distinctio, in vniuersalem quam appellant & particularem. Possem porro respectu temporis, a quo demum initium sortiri ex praecepto quorundam statutorum communio debeat, nonnulla in medium proferre discrimina, cum alibi annua cohabitatio (c) alibi liberorum existentia (d) eam inducat,

(b) Quorsum respicit locutio Belgis imprimis familiaris: *Erfnis is geen Winste*, sive hereditatem delatam ad aquaeustum non pertinere, prout explicat ANTON MATHAEVS in *Paroem. Belgicis paroem.* 3. p. 93. sqq.

(c) Veluti in L. PROVINC. HOHENLOH. P. I. tit. 4. §. I.

(d) Ut HAMBVRGENSIVM STATVTA volunt P. 3. tit. 3. art. 1. & LVNEBVRGENSIVM P. 2. tit. 1. §. *Weil auch &c. & Part. 6. tit. I. pr. Vid. Perill. FRIEDER. ESAIAM de PVTFENDORF in Observat. Iur. Vniu. T. I. O. 86. §. XI.* imprimis vero litteras senatus

ducat, sed quoniam hanc prouinciam ab aliis iam occupatam & sufficienter ornatam conspicio, lubens auoco manum (e).

§. V.

Ius Statutorium Lubecense de Communione bonorum.

Communionis bonorum inter coniuges omnimodae exemplum exhibere patria statuta, supra (§. III.) innuimus, nunc vero hanc sententiam contra dissentientium cohortem eiusque ducem ipsum MEVIVM (at quantum inter ICtos nomen, oraculi instar, iis praesertim locis, vbi Ius Lubecensem viget, religiose suspectum) quantum fieri potest, defendere adgrediemur, demonstraturi, non solum illata, sed, ut ita loquamur, omnis generis allata, id est, cum praesentia tum futura bona, & quidquid deinde patrimonium vtriusque coniugis auget, iure quoque nostro communioni vtrique subiici, adeoque illud assertum de anomala qua-

C 3 dam

senatus Luneburgici ad Cancellariam Regiam Cellensem datas, quarum verba exhibet ESAIAS PUFENDORF in *Introductione in Processum Ciuilem Electoratus Brunsvico-Lunenburgici* P. I. cap. 4. §. 41.

- (e) Remittimus scilicet plura nosse cupientes lectores ad FRIEDER. GUILIELM. PESTEL, in disqu. iur. german. de coniugum successione ab intestato §. 15., 17., 29., sq. CHRIST. GODOFR. HOFMANNVM de communionis bonorum coniugalium natura atque principiis §. 3. not. & denique ad HENR. ARN. LANGIVM in tractatu, cui titulum fecit: *Rechtslehre von der Gemeinschaft der Güter*, Cap. I. §. 5.



dam inter coniuges Lubecenses societate solido desti-
tui fundamento. Quid? idem ille MEVIVS mire flu-
ctuat, dubiusque haeret, sibi ipsi haud constans. Mox
enim hoc societatis seu communionis genus Lubecae
admodum impro prium & anomalon esse (a), atque a
verae ac proprie sic dietae societatis natura longius di-
stare (b), immo ea tantum, quae ad communem do-
mum perueniunt, in commune venire putat (c), mox
autem in alia omnia secedens, & nostram communio-
nem, societatis viuiscialis elogio compellare minime
veretur. Vnico testimonio opus erit, ne virum, cuius
famam eruditio nemque sancte colimus & veneramur,
falso inconstantiae insimulasse dicamur. *Societas*, ait, (d)
vniuersalis seu omnium honorum, vel tacita est vel expressa.
*Tacita vel est ex lege aut statuto, qualis est inter coniu-
ges, seu uti hic dicitur, inter patrem & matrem (zwi-
schen Vater und Mutter).* Nec certe capio, quomodo
de particulari societate explicanda essent summi Com-
mentatoris prolata alibi (e) verba, quando de separa-
tione liberorum vel diuisione facultatum cum illis a
coniuge superstite ineunda sequentem in modum tradit:
Quicquid igitur in communionem venit, diuidendum est,
non

(a) MEVIVS ad *Ius Lubecense* Lib. I. tit. 5. art. 5. n. 21. 25.

(b) IDEM l. c. n. 28.

(c) IDEM ad art. 7. eod. add. 1.

(d) ad art. 5. Lib. III. tit. 9. n. 1.

(e) Scilicet ad art. 16. Lib. II. tit. 2. n. 3. & 4.

❖ ❖ ❖

*non inspecto acquisitionis tempore, seu an viuo utroque, an alterutro solum coniuge, bona aduenierint. Idcirco vidui vi-
duae, quibus supersunt liberi, ad diuisionem eorum, quae
acquisuerunt, obligantur. Generaliter disponit statutum
de obuenientibus hereditatibus, donatis, aliisque acquisitis,
ut dubitandum non sit, generaliter illud accipendum esse:
nam si hoc non est, ignoro, quid sit fibi contradicere.
Verum & bonus nonnunquam dormitat Homerus.*

Uniuersalem quidem communionem non ita diser-
te enuntiant Lubecensium sicuti Bremensium (f) alia-
rumque ciuitatum (g) statuta, sed nihilo secius com-
plures ibidem dispositiones locutionesue leguntur,
quarum rationes modo penitus scrutari essent aduersa-
rii, sic comparatas deprehendissent, vt ad generalis
nostrarum principium se referant cunctae. Utamur igit-
tur iis, ad nostram firmandam sententiam, quando-
quidem nullum tam luculenter, quam quod ab effectu
deducitur, causae inseruit argumentum.

§. VI.

(f) STATVTA BREMENSIA Part. 3. tit. 3. §. 1. Ordel 86. clare
disponunt: *So wov tme to samende Kamet an Echtkup, wat
de hebbet, dat is ever beyde na Stadcs Recht. i. e. Quando
duo in matrimonium conuenerint, quicquid horum fuerit,
illud inter utrumque commune est secundum ciuitatis iura.
Vid. Ampliss. G. OEHLRICH'S in collatione statutorum pag. 93.
& 348. Idem exprimunt STATVTA MINDENSA L. I. tit. 13.
art. 6.*

(g) vid. LANGIVM I. c. §. 5.



§. VI.

Bona Coniugum vniuersa Lubeca communia esse, ipsorum inter se euincit successio.

Omnium prima se offert portio coniugii superstitionis ex legis dispositione statuta, blandum nobis auxilium promittens. Haec plerumque semissim, quamquam, quomodo capiatur, pro varietate circumstantiarum non vna differentia sit. Nam aut liberi concurrunt cum superstite parente, aut non concurrunt. Priori casu, liberis separatis, & mortua vxore, marito incumbit diuisio cum filiis aequa lance instituenda, ut tamen ille arma sua vestesque optimas praecipiat. Iubet enim statutum (a). Stirbet einem Manne sein Weib, und er sol theilen mit seinen Kindern, so nimmt der Mann zuvor aus seinen Harnisch und beste Kleider: Was alsdann übrig bleibt, das sol er zugleich theilen mit den Kindern, nemlich der Vater die Hellfste, die Kinder die andere Hellfste. Aliquantum vero deterior vxoris conditio, quae nihil praemoriente marito, nisi annulum prouobum, praecipuum capere, at vestimenta & reliqua cuncta in commune conferre iubetur. Stirbet auch einer Frauen ihr Mann, pergit lex (b), das ihr also gebühret zu theilen mit ihren Kindern, die Frau nimmt zuvor ihren Trauring: was darüber ist, es jey an Kleidern oder an andern Eigenthum, das sol sie zugleich theilen mit ib-

(a) Lib. II. tit. 2. art. 2.

(b) loc. cit. art. 3.

ren Kindern, die Mutter die Hellste, die Kinder die Helfste. Quod si liberi viuente vtroque parente segregati, adeoque distortes fuerint, coniux post mortem alterius omne retinet sibi patrimonium, cum liberi semel acceptando portionem separatione adsignatam ea contenti esse debeant (c).

Improle autem cum manserit matrimonium, vel etiam parentes filios inuerso naturae ordine ante funera sua elatos lugere necesse habuerint, atque sic nulli concurrant liberi, decedente muliere vir dimidiā facultatum vxoris heredibus eius restituit, reliquam ipse retinet; vxor vero superstes bona in matrimonium allata praecipit, & deinde, quocunque superfuerit, cum mariti heredibus pro semisse diuidere tenetur. Stirbet einem Manne sein Weib, sunt verba statutarii iuris (d), und haben sie keine Kinder mit einander, der Mann soll der Frauen nekestens Erben wiedergeben den halben Theil Gutes, welches er mit ihr bekommen, gleichergestalt, stirbet der Mann, welcher mit seiner Frauen

D keine

(c) arg. Lib. II. tit. 2. art. 6. 23, 34. Vid. STRYK de Success. ab Intestato Diff. 4. cap. 3. §. 70. GOEBEL de Successione ab Intestato §. 90. I. LVC. STEIN Abhandlung des lübschen Rechtes Tb. 2. §. 20. & Viram Excellentissimum & Consultissimum HERM. GEORG BÜNEKAV Reipubl. patriae Senatorem D. de separatione liberorum ex Iure germanico cum primis Lubecensi §. 22.

(d) Lib. II. tit. 2. art. 12.



keine Kinder gezeuget, die Frau nimt zuvorn, ihr zu dem Manne zugebrachtes Gut, soferne es vorhanden ist: Da noch etwas vom Gute darüber, das sol sie zugleich theilen mit des Mannes Erben. Abludunt equidem in hoc iura patria ab aliarum ciuitatum consuetudinibus, vi quarum superstitione coniugi vniuersalis successio exclusis praedefuncti cognatis competit. (e). Licet enim in doli communionis bonorum vniuersalis alias iste esse. Etus tribuatur, ut, qui alterutrum coniugem vita superarit, ille omne patrimonium nanciscatur, secus tamen videbatur nostris maioribus satis prospectum iri vel viduo vel viduae creditibus, modo superstes nullis extantibus liberis ad dimidiam vocaretur patrimonii a defun-

(e) Huc in specie spectant formulae: *Laengst Leib laengst Gut,* der letzte thut die Thüre zu, Huth bei Schleyer, Schleyer bei Huth. Prioris paroemiae usum atque effectum ex moribus Augustanis explicat 10. BERNH. FRIESE D. de Successione coniugum ab Intestato secundum mores Augustanos, §. 6. alteram illustrat CAR. GOTTL. KNORRE de usu paroemiae iur. german. : Der letzte thut die Thüre zu, in successione coniugum; Ultimam denique constitutionibus Abbatiae Fuldensis declaratam vide apud GEORG. MELCH. de LUDOLE. in Collectione Statutorum ad Tom. 3. Observat. forens. pag. 612. Statuta autem in omnia omnino bona coniugem superstitem vocantia congeserunt: Perill. NETTELBLADT D. de portione statutaria coniugum Lubecensi ex art. 12. de Successione ab Intestato Cap II. §. 18. & GEORG. LUDOV. BOEHMER D. de iuribus & obligat. coniugis superst. ex commun. bon. vniuersali, §. 14. sq.

desuncto relieti partem, altera vero dimidia cederet proximis eiusdem heredibus. Quamquam autem ille semissis non ex communibus, sed iis, quae propria fuerant praemortuo, superstiti obtieniat bonis, tantum nihilo secius abest, ut inde, quod non totum consequatur viuens, nostra de communione vniuersali Lubecensi infringatur sententia, ut potius eiusmodi argumentum a contrario petitum ad negatiuam roborandam vel maxime fallax existimem. Potest nempe aliquo loco generalis & quae cunctas omnino adficiat coniugum facultates vigere ~~marituum~~, etiamsi effectus successionis intuitu ab eo, quod alioquin ordinarium perhibetur, paucisper recedat. Quandoquidem igitur, superstiti sicubi cedat vniuersum coniugis praemortui patrimonium, ibidem omnia bona virum inter atque vxorem communia esse tuto concluditur, haec tamen conclusio fallebit, si ita retorqueatur, ut, ubi coniux ex bonis praedefuncti portione definita contentus esse iubetur, ibi communio exulet vniuersalis. Legis quippe est, qualem volet, effectum adsignare negotio. Quid si etiam haec dispositio dubium de communione Lubecensium generali cuiopiam iniiceret, protinus idem tolleret diuisio a coniuge, qui superuixerit alterum, cum liberis consorribus seu nondum separatis instituenda. Semissis enim, quem hoc casu capit superstes, ex utriusque, minime vero ex praedefuncti solummodo bonis conflatur, adeo ut MEVIVS fateri necessum habeat (f), omnia bona,

D 2 tam

(f) ad art. 2. tit. all. n. 83. *ut in 182 da re (i)*



tam paterna quam materna, tam praedefuncti quam viventis, sine discrimine ubi locorum sita, vel qualia sint, siue illata siue non, in unum quasi patrimonium conferri & praecepsis praecipiendis diuidi debere. Quae cum ita sint, certo certius claret, diuisionis rationem in societate connubiali eaque vniuersali posuisse statutaria iura, quare & nunquam coniux superstes in iis heredis nomine vocatur, vel succedere dicitur, quatenus nempe verbum *succedere* in sensu juris hereditarii accipitur, quod si autem eius mentio occurrit, tunc aut *diuidit*, aut *retinet*, aut *reddit* (g), quae sane praedicari haud potuissent, nisi ante diremum morte alterutrius coniugium, bona utrinque fuissent communia. Immo illa facultas viduo viduaeve data, illi armaturam & optimam vestimenta, huic pronubum annulum, praeciendi, ne quidem has res extra communionis sortem fuisse probat, iam vero, cum ea societas se se extendat ad res minimi vel etiam nullius usus, eandem quoque ista, quae maiorem usum nec non utilitatem praestant, comprehendere oportet. Quid, quod plus una vice coniugum facultates elogio communis patrimonii appellat lex, nam sub dictiōibus *gesamt Gut* (h), *gemeines Gut* (i), cuncta intelligi bona, donec doceatur exemptio,

quis

(g) cf. 1vs LVBECK. Lib. 2. tit. 2. art. 2, 3, 5, 6, 21, 25, 28, § 2.

(h) Lib. II. tit. 2. art. 6.

(i) art. 26, 28, 30. cit. tit.

quis est, qui ambigat? Eiusmodi autem exemptiones quaerat quicunque volet, & qui inuenerit, is magnus mihi erit Apollo.

§. VII.

Idem ex communione aeris alieni probatur.

Nobilissimum, & quod summum non potest non habere pondus, communionis Lubecensis vniuersalis praebet indicium cum redemtio mariti in bello publico capti, ex iuris patrii dispositione iis suscipienda bonis, quae coniuges contulerint, sine discrimine, vtrum ab vxore illata sint, an alias quaesita (a); tum maxime obligatio ad aes alienum ab alterutro coniuge contrahendum ex vtriusque patrimonio soluendum. Quae enim amabo alia huius oneris ratio, quam ~~curdeatorias~~ commodum: & quo sub colore effugere potuissent patria iura notam certissimam iniquitatis, superstitem ad aes alienum a defuncto conflatum dispendio proprii patrimonii diluendum cogendo, inprimis si relictam vxorem posueris, cui Quiritium leges adeo prospiciunt, ut soluere pro marito nunquam adigatur, etiam si fideiussiterit, alioue modo intercesserit, hac obligatione, quantumuis naturali iure perfecta, SCto Velleiano prorsus reprobata, nisi generalis ea societas, ad vniuersa omnino bona pertingens, suo quodammodo iure istiusmodi dispositionem efflagitasset, cui certe sub hac visione nihil

D 3

inest

(a) IUS LVB. Lib. I. t. 5. a. 6.



inest, quod duritiem sapiat (b). Quin potius aequitati vtique conuenit, eos, qui tot commodorum conubialium participes fiunt, etiam incommodorum evadere socios. Nam cum connubialis societatis is proprius effectus sit, ut vtriusque facultates confundat, atque sic e diverso vnum protinus emergat patrimonium, obligationes quoque, quoad ex bonis praestari possunt, inter vtrumque coniugem communes esse, ac proinde alterius thori consortis nomina e communibus facultibus expungi debent. Quare lubenter sententiae b. BOEHMERI (c) subscribo, accurate & conuenienter subduci rationes ab iis, aientis, qui in Germania iura tradentes, hanc regulam: *ne vxor pro marito, nisi statuto recepta fuerit bonorum communio, ita interuerunt, afferentes: regulariter vxor pro marito, nisi constet, ius romanum certo in loco communionis bonorum principia delevisse.* Vxor itaque pro marito, vbi communionis coniugalnis principia sarta testae seruata; quae religio cum Patriae meae semper curae fuerit, nisi unico in casu, quo de mox vberior locus dicendi erit, hic quoque ex alio fonte obligatio superstitis ad nomina expungenda incassum deriuaretur. Idem valet de reliquis

- (b) Id quod & agnoscit MEVIUS ad art. 5. Lib. I. tit. 5. n. 24. ad art. 7. eiusd. tit. n. 55. ad art. 10. Lib. 3. n. 77. Conf. VOOGTIVM de communione bonorum inter Coniuges §. 8. ZERANIVM de commun. bonorum secundum ius Lubeценse. c. 6. (c) in D. de aeris alieni communione inter coniuges Hamburgenes §. 7.

liquis statutis (d), quorum copiam hoc loco omnem referre superuacuum foret, eandem superstitis coniugis obligationem agnoscetibus. Sed subsystemus circa Lubecensium iura, visuri, quid in substrata materia disponant.

Ita autem ius antiquum a IOACHIMO KOLLO editum: *Weret ock Sacke, dat ein Mann von Armo-de vth der Stadt lepe, und syne Huff-Froume woknen-de bleve, unde se leyder so arm were, dat se neen Erf-Gukt hedde, dar se von betalen koende &c.* ex quo a contrario constare reor, quousque scilicet vxor habeat, vnde dispungere valeat aes alienum a marito contrarium, eam ad solutionem obligari, nulla habita bonorum ratione, vt nec hereditaria qualitas ab hoc onere liberet. Quid igitur? cum hereditates mulieri obuenientes creditoribus viri pateant, claret, sane has etiam accenseri bonis communibus: quod iterum monere libuit aduersus eos, qui connubialem societatem intuitu illatorum duntaxat stabilitam contendunt.

At obiicies, id ipsum, a nobis modo in scenam protractum, vetustum ius legali auctoritate destitutum esse, eamque ob causam male huc prouocari. Non renuo. Verum, quamquam vis legis illi tribuenda

haud

(d) Veluti STATVTA BREMENSIA Lib. 2. Ord. 86. apud PVFENDORF. Obs. Iur. Vn. Tom. II. in app. p. 99. STATVTA CIVITATIS SALTZWEDEL. d. 1273. apud Eundem Tom. III. app. p. 399. STATVTA VERDENSIA Stat. 50. & 60.



haud sit, licebit tamen probationis vel saltim illustrationis causa idem in medium proferre, siquidem & instituta, queis post revisionem juris Lubecensis peractam regimur, nullibi fere secessum faciant a veteribus eiusdem iuris codicibus, cum primis quoad placitorum consuetudinumue principia, ab antiquissimis inde temporibus semper eodem modo seruata, nec vñquam a sede sua reuulta. Nam hereditates quoque legi communionis subiecti instar omnium euincit renuntiationis beneficium, coniugi superstici indultum, cuius meminit art. X. Tit. I. Lib. III. STATUTOR. LVBEGENS. Stirbet ein Mann in Schulden vertiefft, und solches offenbar, sollen seine nachgelassene Güter innerhalb sechs Wochen a tempore scientiae von den Creditoren inventiret, und, so man will, versiegelt werden: Darnach muß sich seine nachgelassene Wittfrau mit Vormündern versehen, und in sechs Monat bergen, und Dachdings (e) auftragen, so ferne als sie beerbet, und muß also Haus, Erbe und Güter mit einem Rock und Heucken, nicht dem besten, auch nicht dem aergsten, räumen. Quam iuris patrii ^{præm} sic vertere licet: si maritus notorie obaeratus vita defungitur, credi-

(e) Vide quae de hac re docte disputant *Vir Perillustris Magnificus ac Consultissimus HENR. BROKES Recipit. Patriae Consul in Observacionum forensium libro perutili obs. 581. & 582.* nec non *Ill. GEORG. HENR. AYER vel si maius 10. HENR. KIENMANN D. de debitore obaerato eiusque vidua seu uxore sese seruante per beneficium renuntiationis pactorum nuptialium ad art. I. Iur. Lub. Tit. 3. Lib. I. art. 10. Tit. I. Lib. 3.*

creditoris intra sex hebdomadum spatium a tempore scientiae bona eius litteris mandanto, & cum ita visum fuerit, obsignanto, vidua vero superstes, modo matrimonium prole foecundum sit, de constituendis sibi curatoribus prospicere, atque intra sex menses se seruare, vel in fuga quasi salutem querere tenetur, omne ius sibi competens bonaque hereditaria ac reliqua acquisita & illata creditoribus derelinquendo, tunica tantum pallaque seu leuiori vestimento, quod neque de optimis vel splendidissimis, neque de sordidis, aut quotidianis est, amicta domo discedens. Haec ita se habent, quando prole conubium honoratum sit, aliter sane, si sterile experti fuerint coniuges matrimonium. Vtrumque casum vno tenore definit Codex Iuris patrii valde antiquus, nempe anno MCCXL. litteris consignatus. Wert ock de Mann, disponens, vorvluchtig dor Schult, unde hebbet se Kindere tosamene, he unde sin Wif, is de Schult wtlich, man schal gelden van alle deme gude, dat se hebbet, idt si Erve edder Kopscat; ne hebbet se aver nene Kindere tosamene, unde is de Mann vorvluchtig, so uint se ere Medegift tovorn ut, van deme anderen gelt man, it ne si also, dat se mede hebbe gelovet, van deme mot se mede gelden (f). Singularis profecto dispositio! Quippe quae ratio, vt matrimonio liberis vacuo, vi-
duae sub nomine dotis praelatio in concursu creditorum tribuatur, cum alioquin idem Codex, idemque eius-
dem

(f) art. CLXII. apud de WESTPHALEN Tom. III. Monumentorum
in editor. p. 657.



dem articulus CLXII. viduae ex matrimonio improli super-
stici ne illata quidem repetendi, priusquam debita ad terun-
cium essent soluta, potestatem concedat? Sicut igitur
haec genuinis communionis bonorum principiis oppi-
do conueniunt, sic illa, quae repetitionem illatorum vi-
duae indulgent, iisdem contrariantur. Verum in istis
verbis viri docti Romani iuris cum nostro mixturam
iam dudum subolfecere, de qua commixtione eviden-
ter apparer, collato cum articulo, quem e Codice per-
antiquo paulo ante memorato dedimus iure Lubecensi
hodierno (g). Ibi enim: *Wird ein Mann wegen Schuld
flüchtig, hat er dann mit seinem Weibe Kinder, und ist die
Schuld bekentlich, oder wie Recht erwiesen, so sol dieselbe be-
zahlt werden von ihrer beyderseits Gute. Haben sie aber mit
einander keine Kinder, und ist der Mann flüchtig, so nimt
die Frau ihren Brautschatz, Kleider, Kleinodia, und Jung-
frauilich Eingedoepte, welches sie ihme zugebracht, zu
voraus: Von dem andern Gute zahlet man die Schuld, es
maere dann, daß die Frau mit gelobet, welches doch dahin
zu verstehen, wann sie eine Kauf-Frau gewesen, oder ihrer
fraeulichen Gerechtigkeit erinnert, und sich derselben verzie-
ben, so muß sie mit zahlen helfen.* En tibi dotem e con-
ceptu Romulidarum formatam, en beneficia ex iure
Latii femellis competentia, quandoquidem sub verbis:
ihrer fraeulichen Gerechtigkeit, & Scrum Velleianum & Auth.
si qua mulier certo certius delitescit. Respectu igitur il-
latorum, vidua sub nomine dotis Romanae, praelatio-

(g) Lib. I. tit. 5. art. 7.

ne



ne in concursu creditorum potitur, modo, beneficiorum Iuris Romani memor, illis haud renuntiauerit, lucra vero nuptialia seu portio statutaria ipsi secundum iuris germanici principia plane denegantur, nisi omnia soluta fuerint debita.

Cuius dispositionis causam si postulas, tu pete hanc ab III. & elegantissimo ICto GEORG. HENR. AYRE-
RO (h), qui sequentem fuisse opinatur, & recte. Nem-
pe crescentibus subinde ciuium Germaniae opibus, at-
que parentibus vel propinquis, quando filias cognatas
uel elocabant, maioris iam pretii apparatum seu instru-
etum muliebrem desponsatis parare incipientibus, ut
& numeratam pecuniam, praecipue in ciuitatibus no-
viter nuptiae in communionem connubialem passim in-
ferrent, sensim sensimque placere coeperunt Germaniae
incolis iuris Romani scita de dotis priuilegiis eiusque &
paraphernalium repetitione. Quare non potuit non con-
fusio in Republica oriri, si v. c. vxores ab aere alieno sol-
uendo, dotem & paraphernalia repertendo, sese liberare,
debitis vero nullis extantibus lucrum ex communione
bonorum capere voluerunt. Neque vxoribus illata con-
tra genuina iuris teutonici principia reuocare cupienti-
bus opem denegarunt ICti extra Germaniae fines sacris
peregrinae Themidos initiati, qui praeter Romana nihil
rectum pensumque putantes in adiplicando haec iura fa-
mam sibi parare allaborarunt. Hinc igitur ius, quod

E 2

an-

(h) *Difser. citat. Cap. 3. §. 9. p. 301.*



antea per consuetudinem certum erat indubitatumque, incertum nunc plane euaserat; & cum interim sub horum ICTORUM auspiciis conderentur statuta, factum, ut in nonnullis ea, quae mores Germanorum referrent, cedere cogerentur institutis peregrinis. Ex quo etiam labem contraxere Lubecensium iura, vt ut pro medela, quae illi confusione esset adhibenda, naturalem distinctionem inter matrimonium improle & prole foecundum secuti sint maiores. Hoc eo minus principia iuris Romani admittere poterat, quo maior erat coniugum liberorumque inuicem nexus, liberis praesertim in bona parentum tam patris quam matris suo iure succedentibus; quodsi vero nulla ex connubio superesset proles, iure quidem antiquo bona defuncti ad eius propinquos successionis lege deuoluebantur, quapropter eo casu facilior videbatur recepicio iuris Romani, ut neme pe vxori illata repeterendi concederetur facultas, cum tantam iuri germanico vim neutquam, ac priori in ca-
su, inferri existimarent. Certum caeteroquin est, hoc discrimen prorsus ignorasse veteres, e quorum moribus vidua, etiamsi matrimonium nulla prole beasset, illata repeterere prius non poterat, quam debitis omnino expunctis, id quod olim Lubecae quoque obtinuisse nullus dubito, quamvis nunc, recepto iure peregrino, mulierem gaudere dotis illatorumque respe-
ctu praे omnibus creditoribus praelatione statuant Lubecensium iura. Quo ergo sensu accipienda sunt verba
Viri dum viueret Perillustris, IO, VLRICI de CRAMER,
quoniam

quando de communione bonorum Lubecensi ait (h):
Sic ex iure antiquo Germanorum, ius Lubecense communionem bonorum recepit sine correctione, ex supra deductis patet, equidem tamen certus sum, piissimam animam, quae adeo magnifice sensit de nostris statutis, hanc suam limitaturam fuisse sententiam, dummodo, quid juris tribuat patria lex viduae ex improli matrimonio superstiti, exactius perpendisset. Quamquam enim communio quoad bona coniugum nullum passa sit deliquium, prout supra (§. III. in fin.) ipsi tradidimus, ratione vero consecratorum eadem non ubique fuit religio, sicuti vel in aeris alieni soluendi obligatione perspicuum fit, coniugio nulla prole foecundo. Caeas autem, ne sponte scrupum inde tibi obmoueas, in quem impingere alioquin video viros praecclare doctos, addubitantes, an hodienum nullis liberis extantibus communio bonorum inter coniuges Lubecenses obtineat, ut adeo sint, quibus negatiua tueri atque defendere placet (i). Verum cum in casibus non exceptis robur exceptio adferat regulae, ego contra sentire cogor. Ius patrium loquitur de casu, vbi maritus aut propter vrgens aes alienum in fuga liberationem salutemque quaerit, aut obaeratus moritur, tunc quippe mulier vel vidua, cui dulce matris nomen

E 3 in

(h) in *Opusculis Tom. III. pag. 152. Wexlar. Nebenstunden P. 34.*
pag. 34. & pag. 47. §. 11. & 12.

(i) *Consule, nec pigebit, Illustr. ac Consultissimum virum, 10.*
CAR. HENR. DREYERVM in aurea introductione ad notit. ordinat. Lubecens. german. conscript. p. 293. N. XI.



incognitum est, dotis priuilegio secura redditur, vt non opus habeat pro marito soluere. Quodsi vero bonus fuerit maritus pater familias, vt vel ipse nomina dispunxerit, vel nunquam aes alienum contraxerit, & iam iste decedat absque honore patris, vidua certe e statutorum nostrorum praecepto gaudet commodo successionis, si ita loqui fas est, neque ex Praetoris Edicto *Vnde Vir & Vxor*, neque Iustiniani singulari dispositio-
ne, vbi superstes tantummodo pauper vocatur, sed ex indole communionis bonorum, tanquam germanici in-
stituti proueniente, de quo repetas, late a nobis dispu-
tata §. antecedente. Vtique igitur communio inter con-
iuges adest, etiamsi nulla prouenerit proles.

§. VIII.

Limitatio ratione mariti.

Hactenus de obligatione maritae pro viro soluendi. Offert se & illa mariti, vt qualis habeatur respectu de-
bitorum ab vxore contractorum, & quomodo nascatur,
paucis dispiciendum sit. Fieri quidem vix poterit, vt
vxor, subsistente adhuc matrimonio, aes alienum con-
flet, administratione bonorum marito tanquam capiti fa-
miliae eiusdemque rectori competente, neque facile
permittet maritale imperium, quod iure dirigendi facta
seu actiones vxoris in communem utilitatem absoluitur,
debitis voluntariis onerare domum familiamue, nisi con-
sensu ac iussu mariti. Hoc mariti in vxorem iuperium,
vel si nimis dura videtur isthaec locutio, illa ipsa vis
ac potestas, cui Leges Germanorum subiectam iusse-
runt

runt mulierem, sicut omnem omnino alienationem, ab ea
 citra voluntatem mariti susceptam, irritam reddit, ita &
 virum solutione debiti sine consensu eius ab vxore con-
 tracti liberat. Nihil scilicet agit mulier, absque tuto-
 re aut marito, qui legitimus vxoris curator est, agens (a).
 Quae cum ita sint, si tamen quid egerit vxor, consen-
 tiente ac iubente veluti marito egisse praesumitur,
 dummodo ad res curae ipsius delegatas negotium ini-
 tum spectet. Accidit enim nonnunquam, ut vxor in
 rei domesticae causam debita contrahere opus habeat,
 vbi sane & ista in vnum coniugum communem versa re-
 putabuntur. Quando igitur leges liberum alienandi,
 vendendi, permutandi, mutuam accipiendo pecuniam,
 aequo alienum contrahendi arbitrium mulieris impe-
 rio maritali subiectae vel ad consensum viri, vel certam
 definitam quantitatem restringunt, adeo ut, si femina in-
 scio marito alienet, aut nomen quantitate legali maius
 contrahat, facta eius iure ipso habeantur nulla, atque
 ideo creditoribus cum contra maritum, tum contra vxo-
 rem, omnis denegetur actio, loqui eas duntaxat de
 istiusmodi negotiis, quae extra necessitatem rei dome-
 sticae, vel citra rationes oeconomicas a muliere cele-
 brata sunt, patet. Huc pertinent placita Iuris patrii, cum
 antiqui, tum hodierni. Ita enim IVSTITIA LVBE-
 CENSIS (b) & CODEX IVRIS LVBECCENSIS de anno

1240.

(a) EV. OTTONIS *D. de perpetua feminarum tutela Cap. 2.*(b) apud *de WESTPHALEN Monument. ineditor. Tom. III. pag.*

624.



1240. (c). Neen Vrowe, ne mag ock ere Gut verkopen,
noch versetten, noch vergeven, sunder Vormunder, noch
neen Vrowe ne mag hoger Borge werden, sunder Vormunder,
den vor drittelhalven penning, sunder degene de Kopscap
hebben, um kopen und verkopen, so wate se loven, dat scolon
se holden. Clarius vero iura nostra recognita, quibus
hodinum vtimur, illa non solum repetunt, (d) sed
& notanter adiiciunt (e): Es kan keine Frau, sie sey
dann eine Kauf-Frau, mehr kaufen, obne ihres Mannes
oder ihrer Vormunder Wissen, dann Leinwand und Flachs, zu
ihres Hauses Nothdurft. Conueniunt his & alia Statuta,
veluti FLENSBURGENSIA (f) SCHLESWICENSIA (g)
OTTERNDORFINA (h). Sed cum, legibus istis sermonem
esse de muliere inscio marito debita contrahente,
lectio ipsarum edoceat, quaestio suboriri potest: an
ignorantia facti vxoris simpliciter excusat, adeo ut maritus
ad aes alienum vxoris diluendum minime obligetur?
Iam si obligationem mariti metiri vellemus secundum
indolem communionis bonorum, prout faciunt ad

(c) ap. EVNDEM pag. 642.

(d) Lib. I. tit. 10. art. 1.

(e) Lib. III. tit. 6. art. 13.

(f) d. 1284. art. 85. apud de WESTPHALEN Monument. inedit.
Tom. IV. p. 1929. COD. FLOTOWIANI d. eod. anno art. 48.
ap. EVNDEM Tom. III. p. 94.

(g) SCHLESW. STADT - RECHT. c. 59.

(h) d. 1541. art. 41. in fin. penes PVEENDORFIVM Tom. II. Obseruat. Iur. Vniu. in app. p. 178.

vnum omnes fere lCti, omnino dicendum foret, hanc
 ignorantiam facti vxoris suae nocere viro, neque mariti
 in se citiam ipsum liberare a solutionis onere, si quidem ea
 communionis vis sit, vt facta vnius durante matrimo-
 nio suscepta, alterius quoque coniugis facta censeantur,
 atque propterea praestationem eorum, ab alterutro
 quisquis is fuerit, efflagitent. Verum enim vero, ex
 communione bonorum, licet vniuersali, non obligant le-
 ges ad soluenda debita, maritum, ignorante ipso a con-
 iuge conflata. Nam cum illata vxorum, olim praeci-
 pue, possessionibus maritorum non utique responderent,
 sed longe minora essent, iniustum videbatur Germanis,
 si vxores bona maritorum, eum in finem accepta, vt
 intuolata ac digna redderentur liberis, aeris alieni one-
 re grauarent, cum ne marito quidem liceret, vxoris bo-
 na immobilia libere & sine consensu eius oppignorare,
 vendere, vel quocunque alio modo abalienare. Aliunde
 ergo quaestioneis propositae decisio petenda. Certe
 felicibus auspiciis eam petimus ex illa potestate, quam
 iura germanica viro in vxorem concedunt, vt omnia
 fere negotia maritarum ad consensum curatoris legitimi
 adstringant, ipsique marito administrationem bonorum
 vxoriorum tanquam rectori totius familiae adsignent.
 Quamuis enim ignorantia facti vxoris tanquam alieni,
 incommodo nullo adficere virum videatur, atramen im-
 becillem valdeque iejunam excusationis causam saepe
 numero prodit. Nam si suspicione laboret vxor, quod
 inscio marito clanculum alienet, vel adhibeat aes alie-
 num,

FRIANTICVS 51. 100. 100.



num, etiam culpam leuissimam maritus non prohibens, qui ob imperium in feminam prohibere potuisset, praestare tenebitur. Hinc, cum vxorem suspectam habere potuisset, nec tamen habuerit, dolo vel culpa egisse, vel saltim consensum impertiisse praesumitur maritus, atque adeo ad expungenda vxoris debita sponte obligatur. Facti quippe ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obiiciatur. *Quid enim, Paulus ait, optimus inter ceteros Romanos ICtus (1), si omnes in ciuitate sciant, quod ille solus ignorat.* Vbi simul Labeonem laudat recte definiens, scientiam neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam, verum eius, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit. Prohibeat igitur maritus, & quidem ut publice de facta prohibitione constet, atque liberabitur plane. Ad prime hanc decisionem ornat IUS PROVINCIALE TERRAE SCANIAE, postquam vxori alienare permittit rem valentem quinque denarios, ignorantie marito, verum, edicens, (k) quia frequens alienatio, quamuis exiguae rei, tandem immensam poterit adferre iacturam, & abundantiam in penuriam commutare, licet marito, suspectam habenti uxorem suam super alienatione frequenti in ius procedere, & uxori omnem alienationem efficaciter prohibere, ut, si uxor postea aliquid de facto praesumingit alienare, maritus possit idem tanquam non alienatum renovare. *Licet pre-*

(1) *L. 9. §. 2. D. de I. & Facti ignorantia.*

k) LEGES PROVINCIALES TERRAE SCANIAE d. 1163, Lib. VII, cap. 12. apud de WESTPHALEN Monument. inedit. T. IV. pag.

pretium, quod vxor accepit, refundere non cogitur, ceterum: Quod multo magis procedet, ut nempe contingat liberatio, se perdidisse imperium marito iurante, ut habent
STATUTA GÖTTINGANA (1).

§. IX.

Altera limitatio bonorum respectu.

Alier pronuntiandum de debitis ante matrimonium contractis, Etenim haec ius Lubecense non distinguat a debitis durante matrimonio factis, omnem tamen obligationem coniugum erga se inuicem ab eo demum tempore initium capere, quo matrimonii consummatio fuit peracta, sapientissimis maioribus vistum est, Prius itaque nulla maritalis potestas, nulla communio, nulla mariti rei vxoriae administratio. Semel vero coepito coniugio, incipiunt simul iura, officia, commoda, onera quoque & obligationum vincula. Vnde sua sponte consequitur, quod, si vxor ante coniugium aes alienum subierit, haec ex bonis vxoris solui debeant, Idem obtinet mulieris intuitu, quae itidem ad nomina mariti antematrimonialia neutiquam tenetur soluenda,

F 2

Nimis

2057. cf. quoque *Amplissimum*. Virum HENR. BROKES in *Obs. seru. forens. Obs. CXVII.* pag. 215.

- (1) d. 1354 penes FUFENDORF *Obs. Iur. Vu. Tom. III. p. 169.*
in app. *Weret ok dat ghemannet Wif breke dat in der Stad
Willekore drope, und des verwunnen worde, der mach de Rad
laten beden mit mitschop ores Maynes in ores Mannes Her-
berge*



Nimis sane liberales sunt erga communionem bonorum I^{CTI}, qui vim eius tam late extendunt, ut onus extingendi debita, ante matrimonium initum ab alterutro coacta, ad innocentem deuoluant coniugem. Quod mulierem attinet, communis est sententia, eam non obligari, hoc solummodo casu, si improle, contra autem, si liberis fuerit ditatum coniugium. Nam cum ius patrium antiquum a IOACHIMO KOLLIO editum art. LXI. disponat: *Nimmet ein Mann tho echte eine Weudewe effie Jungfrouwe, und stervet de Mann korts darna; dat de Frouwe nene Kinder van ene hefft, wat de Mann schuldig was, ehe he se nam, dat schall de Frouwen nicht bindern;* a contrario debitum maritale ante connubium contractum incommodo esse mulieri argumentantur (a), prole e nuptiis existente. Videtur etiam huic opinio ni fauere articulus nostri juris recogniti X. Tit. I. Lib. III. e cuius dispositione vxor vel vidua mater, omnia bona creditoribus relinquere tenetur, absque vlo adiecto

dis-

berge by dren Punden. Verbreke se dit bot drye, so mach me oren man panden vor de broke der se verwunnen were, und oek vor de negben punt der se drye an gebroken bedde. He ne wolde denne dat vorwerken vppe den bilgen, dat he ore nicht mechting en were, so scholde de Vrouwe lyden dit vorben. bot.

(a) Ut de COCCII in *Discurs.* ad Lib. II. tit. 2. Iur. Lub. cap. 3. p. 651. qui & ista paradoxa seruari quotidie praxi testatur. GORIS de societate coniug. cap. 4. n. 3. §. 85 I. L. STEIN L. I. tit. 4. §. 132. not. *** der gründlichen Abhandl. des Lubsch. Rechts. Sed vid. MEVIVM ad art. VII. tit. 5. Lib. I.



discrimine, vtrum isti ante, an demum post nuptias celebratas, fidem viro habuerint. Verum enim vero, quoniam communio bonorum durante saltem matrimonio inter coniuges obtinet, ac demum sub initio matrimonii initi, pleneque consummati, exordium capit, atque effectus suos prodit, nil impedire cum Ill. AYRE-
R O (b), Academiae Georgiae augustae decore, reor, quo minus uxor ab obligatione istiusmodi debita expun-
gendi se se liberare, & creditores agentes repellere
queat, obmota debiti ante matrimonium contraeti ex-
ceptione (c) nisi, quae limitatio ubique locum inue-

F 3 nit,

(b) *Diff. de debitore obaerato eiusque vidua s. vxore se se seruante per benef. renunciationis &c. c. 3 §. 16. p. 336.*

(c) Sic & STATVTA HAMBVRGENSIA P. II. Tit. V. art. 11. reiecto omni discrimine inter matrimonium improle atque prole fecundum, debita antenuptialia ei solitarie injungunt expun-
genda, qui ea contraxit, verbis: *da auch jemand bey der Verlobnis sich seiner Güter hoeber, als dieselben uverth seyn, verübtme, oder aber auch keinen Brautschatz namkündig gemacht haette, und er davnach dergestalt in Schulden vertie- fet befunden wvirde, daß er nach Ablegung derselbigen nichts eigenes gehabt, oder auch seinen verübtmen Brautschatz nicht frey einbringen koennte; so sollen der Jungfrauen oder Witwven Güter, vor die Schuld, so vorbin gemacht, sie ha- ben in vvaebrender Ebe Kinder erzeuget oder nicht, keines- wweges gebalten oder verpflichtet seyn, und soll derselbig seiner Haß-Frauven Hauptstuhl, ohne der Freunde Willen zu beschweren, nicht maechig seyn:* quam præv erudite, vt solet, declarat b. BOEHMER, D. de commun. aeris alieni inter coniug.

Hamb.



nit, fibimet ipsis nominatim pacto coniuges rogaverint legem de aere alieno, ante nuptias celebratas ab alterutro forte contracto, soluendo,

§. X.

Consummatur matrimonium thori consensione, sed, qualis opus sit, expenditur.

Quando autem matrimonium pro consummato ac ciuiliter perfecto habeatur, communionemque bonorum producat, nil dicere attinet. Nam neque consensum matrimoniale, neque *leges et usus* sufficere, sed insuper ex moribus Germaniae antiquis, passim servatis, ad effectum plenum iurum connubialium desiderari thalami consensionem, tralatitium est. Sed de eo ambigitur, utrum concubitum absolute talem, id est, cum copula carnali coniunctum, requisiverint veteres, an symbolica & ficta thori consensione perfectionem ac consumptionem connubium nancisci putauerint? Quid mea ferat sententia, dicam equidem, & quasi me Censor rogareret, ex animi sententia.

Ante omnia vero explanandum venit, unde hoc requisitum ortum traxerit? In solo tamen germanico & ex causis domesticis natum, vel ideo assiri nequit, quod nullae rationes domesticae adferri queant, quae ex Germanorum rebus ac institutis illud principium ma-

natum
Hamb. §. 29. Unde simul confit, paroemiam: *Die dem Manne traut, traut auch den Schulden, ad debita, post matrimonium conflata, relegandam esse.*

natum ostendant. Quare iuri Canonicō, ex quo plura Germanis arriserunt, prout speculatores, gentiumque sedi papali subiectarum scita, demonstrant, causam, cur demum a consensione thalami matrimonium effectus fortiri voluerint, tribuere mallem. Hoc enim iure matrimonium aestimari ex sacramento, quippe quod ratum facere coniugium creditur, & cui adeo omnis eius vigor tribuitur, dubio caret (a). Ex hac igitur ecclesiae Romanae doctrina, instar articuli fidei credulo orbi obtrusa, nec non per iudicia ecclesiastica propagata, dogma penes Germanos inualuit, in communionem demum bonorum transire coniuges, simulac corporum commixtio peracta, indeque vna quasi utriusque caro facta fuerit (b). Hinc INNOCENTIUS III. Metensi Episcopo in haec verba reſcribit (c): *Profecto coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum;* quae iam ante INNOCENTIUM Pontificem erat LEONIS sententia (d). Probabile itaque fit, Germanos

(a) c. 7. de diuort. c. 6. X. qui filii sint legitimi.

(b) Huc facit testimonium Legislatoris Normannorum apud IO. PETR. DE LVDEWIG Reliq. Mſtor. T. VII. p. 181. §. 6. *Omnes vero coniugati nihil diuisum possunt vel debent possidere -- cum enim vir & mulier duo sint in carne vna, & vna debet esse earum possessio.*

(c) cap. s. X. de bigamis non ordinandis.

(d) c. 17. C. 27. qu. 2. cf. I. H. BOEHMER. D. Saep. all. de com. aer. alieni int. comp. Hamb. § 33. squ.



manos concubitum re vera talem, seu copulam carnalem, propter iuris pontificii auctoritatem ad perfectio-

nem matrimonii quoad effectus ciuiles postulasse (e).

Ne

- (e) Thalami concessionem actum symbolicum nequaquam indig-
tare, pluribus in hanc rem congesis formulis probat mo-
rum Germanicorum callentissimus DREYERVS de termino effe-
ctuum ciuilium matrimonii a quo; item in der Einleitung
zur Kenntniß der in Geist-Burgerlichen u. Kummer Sa-
chen von E. H. R. der R. S. Lubek ergang. allgen. Ver-
ordnungen &c. pag. 289. squ. Sane alium significatum ig-
norant paetia nuptialis medio aevo confecta, quam qualem
ipsa negotii natura suadet, dum prius nec bonorum commu-
nionem, nec successionem, nec donum matutinum, quod
Morgengabae nomine venit, nec dotalitii adsignationem, nec
denique tutelam mariti procedere volunt, quam si condormi-
uerint, si concubuerint coniuges, si notabiliter se iunxerint
strato maritali, germanice: Wenn die Heyrath berennet,
i. e. quando coitu consummauerint matrimonium, cum ver-
bum *vennen*, *reinen*, *rinnen*, Francorum idiomate nihil aliud
sit, ac *coire*: (WACHTER Glossar. germ. p. 1281.) vvenn sie
sich ihres Leibes gebrauchet, und die Ehe also vollzogen:
vvenn sie zur leiblichen Kbanßhaft (id est ad corporum
communionem) gekommen, und die ebliche Munning (que
vox amorem denotat) minnen, enim idem esse ac amare do-
cent von der LAHR Glossar. Iur. Alemann. p. 69. aliquie,
quos citat summe mihi colendus Vir, Ill DREYERVS
in citata introduct. ad notitiam Ord. Lubec. not. 5.) ge-
pflogen. Neque aliam interpretationem admittunt paroemiae
visitatae: Ist das Bett beschritten, so ist das Recht erfülitten,
&: vvenn die Deke über den Kopf ist, so sind die Ebeleute
gleich

Ne tamen quis cogitando indecoras quaestiones effingat, vt nempē in casu, vbi intererat coniugis, pro consummato haberi matrimonium, quaeſitum fuerit, quid inter ſolum & ſolam aetum, non opus erat narratione, quomodo Iupiter amauerit Iunonem, & noctem cum ea tranſegerit, ſed ipsa haec copula praefumebatur interueniente. Quilibet ſane concedet facile, probabilibus admodum niti hanc praefumptionem argumentis. Et cum me in re incognita, quippe nondum mysteriis coniubialibus initiatus, verſari ſentiam, ad maritorum iudicium prouoco, quorum eſt recordari, quid post conſcenſionem thori in aurem dixerint reginae, & quid ipsa rurſus cum loue confabulata ſit. Saltim pigritiae notam haud contraxiſſe Teutontum ituenes, robusta illa corpora, & ad gaudia Veneris bene matura, quin potius legi coniugii, quantocyuſ fieri poſſet, taeda nuptiali extineta, feciſſe ſatis, effectusque ſuos tribuiſſe matrimonio, oppido periuafum habeo. Subinde vero ab hac veterum religione ſeceſſum eſt, introducto hinc inde concubitu ſymbolico, aut dicis gratia adornaſta thalami conſcenſione, vt etiam coniūmmari ſub hoc ritu inter Illuſtres videas per procuratores connu-

G bia

gleich reich. EISENHART. von Spruchvoertern S. II. n. 17. & 18. p. 123. sq. Consulas, ſis, ſuper hac cauſa ſcriptum, cui titulus: Eroerterung der Frage, ob unter der Beschreibung des Ehebettes, der wirkliche Beſchlaſ zu verſteben, und was mit ſelbiger verknüpft ſey? in den Bemübungen der prüfenden Geſellschaft P. 2. Obs. 3. P. 3. Obs. 1.



bia (f). Ut inanis, nihilo tamen secius ita necessarius nunc est hic fictius ritus, ut eo omisso, & altero coniugum forte post benedictionem sacerdotalem morbo correpto, moxque decedente, plene consummatum dici nequeat matrimonium, nec vir & vxor sit, ratione commodorum aut iurium ex statutis vel consuetudinibus Germaniae coniugibus competentium. Lubecae olim, a concubitu coque vero, non facta pependisse effectus, colligere licet ex eo, quod ad KILONIENSES a. 1430. missum, ordalio. Hoc denegat mulieri, quae post copulam sacerdotalem thorum geniale non erat ingressa, statutariam portionem, propter rationem hisce verbis prolatam: *Wente effte se ehme to echte getrouwet, und nicht tho sinem Bedde und Live gekamen, so sind de Goeder nicht in samende were, und mag se sik mede der Brut Gifffe begnoegen laten na Lubischen Rechte.* Tandem vero, ac primum quidem per ordinacionem Politiae a. 1612. promulgatam, ab his sancte huc usque custoditis patriis moribus diuortium factum; idemque effectus, qui e cohabitatione carnali duntaxat promanant, inditus deductioni noviter nuptae ad lectum geniale, vbi amplexibus nouelli mariti traditur extra omnem immo & imaginarium thalami consensum. Quo peracto vir una cum femina, haec vero deposito fert virginali ad coniugias reuertitur (g).

§. XI.

(f) IO PETR. de LVDEWIG de matrimonio Principis per procuratorem. Hal. 1724.

(g) Vide E. E. Rethes der Kayserl. Freyen, und des Heil. R. Reichs

§. XI.

Sic vindicata LVBECE NSIEVS meis communione bonorum, eaque vniuersali, ac indicato simul tempore, ex quo illa initium sortitur, ad reliqua, sine vltiori hæsitatione, gradum acceleramus. Missis quippe, quorum caeteroquin tractationem vtilem perquam ac iucundam fuisse futuram confidimus, & spretis iis adminiculis, aliunde quam e patriis statutis arcessendis, veluti ex ea-rum ciuitatum iuribus, quas Lubecensium legibus viue-re constat, ac quibus fulciri nostra potuit quoque sententia, tandem eo descendit oratio, quo vt rite deueniret, omnia isthaec hic vsque dicta praemisimus, nec non præfati sumus.

G 2 §. XII.

Reichs Stadt Lubek, Ordnung, wie bey Verlobnissen, Hochzeiten, Gevattergeschäften, Kindbetten &c. sich ein jeder verhalten soll, de anno 1612. Tit. V. art. 10. vbi: Die Niederersetzung und Beylegung ins Bette, wird auch als überflüssig und undienlich geachtet, sondern es soll sich der Brautigam zu Ende des Bettes stellen, allda soll ihm von denen, so die Braut zu der Copulation geleitet, selbige zugeführt, und überantworret werden, welches binföro eben so viel, als die bisher gewöhnliche Beylegung, wirken und gelten, und derselben gleich geachtet und gehalten werden soll, und möegen darauf die Herren dem Brautigam und der Braut Glück wünschen, abdanken, und bingeben. Et in sequenti art. 11. Wenn dieses also verrichtet, mag sich der Brautigam mit den Gästen, so laenger Lust haben, zu bleiben, froelich machen, und vver Lust zu tantzen hat, tantzen &c. Patet igitur hunc ritum post epulas nuptiales adornari.



§. XII.

Semel coepta continuatur a viudo parente cum liberis.

Natam semel communionem bonorum, sicuti liberi adsumt, etiam post funera alterutrius coniugis durare, nec obitu vnius illico euanescere, sed prolem inter e matrimonio susceptam, & parentem superstitem, modo nec lex, nec pactum resistat, continuari, adeo dubio caret, ut neutrquam multa probatione egeat. Sunt quippe officia, obligationes (a), iura superstitis coniugis, est ipsa denique natura & indoles societatis, quae clare hoc indicant, etiamsi forte statuta de illa continuatione communionis nil expresse disponentia inuenieris. Quod enim defuncto coniugi in bonis indiuisis pro rata competierat condoninium, in liberos iure germanico devolvitur: ac proinde, cum & superstiti in iisdem bonis pro indiuiso adhuc competit condoninium, illi cum parente viuentे in eorundem bonorum communione sunt, quemadmodum scite rationes subducit Vir summus ac Fautor aeternum colendus G. L. BOEHMER (b). Scilicet hoc condoninium, collatis vtrinque in vnam massam facultatibus, emergens, morte vnius vel ideo extingui nequit, cum adeo bona coaluerint, ut vnum idemque patrimonium repraesentent, nec partes amplius sint, quarum vna ad hunc, altera ad illum pertinere adsimiles coniugem. Ius igitur, quod omnium omnino bonorum

(a) Huc spectat in primis obligatio coniugis superstitis, ad aces alienum ex bonis communibus soluendum, de qua satis supra.

(b) Diss. de iur. & obl. coni. sup. ex c. b. vnu. §. XVII.

rum intuitu acquisitum, perdureret necesse est, quounque res extant, quas adficit, aut donec factum accedit, contrarium ei, quo ab initio inductum erat. Iam cum condominium utriusque coniugi proprium, e communione bonorum proficiscatur, illud autem perpetuum sit, ut decedente uno vel altero, liberi locum defuncti occupent, parentisque ius nanciscantur, non plane errabimus, si a continuato effectu ad continuatam cum liberis causam formemus conclusionem. Hinc sublata demum communitate bonorum, quod facto sit, vi cuius parens superstes ab illa cum liberis recedit adsignata iisdem certa portione, qui actus separatio nuncupari solet, proflus quoque concidere illud commune condominium ius, per se patet. Alii communionis, parentes inter & liberos prorogandae, rationem vnic ex fine societatis connubialis aestimari posse contendunt. Quem ut incommuni bono familiae, proindeque in vita coniugum, aequae ac in liberorum educatione ex bonis communibus instruenda collocant, ea vero matrimonii onera, videlicet curam educandae prolis, sumtuum in studia faciendorum subministrationem, & quicquid praeterea ad commoda liberorum promouenda pertinet, post obitum alterius, in superstitem coniugem deferri vident, inde optime constare de causa arbitrantur, cur iuria germanica societatem illam morte dissolui negaverint. Quid autem: ratio adducta quadrabit, liberis sui iuris factis; masculis, cum propriam oeconomiam institerint, femellis, si nupererint viris? Tum sane nulla



de alimentis praestandis quaestio oriri potest, cessant dotium constitutiones, filiabus nempe iam elocatis; cessant subsidia filiis soluenda, vel quae alias erogantur, ad artes tam liberales, quam illiberales, veluti opificia, ediscendas, quandoquidem tantum didicerint, ut separatos lares colere ac a rationibus paternis rem familiarem secretam agere valeant; & nihil secius communio, etiam si posthaec alter decesserit coniux, cum liberalis procedit. Hunc nodum ut soluant, aliam substituunt causam, vitae nimirum in viduitate honeste ac digne dicendae. Sed haec vti vtrumque haud tangit, ita ad matrem viduam tantum pertinet, cui viduitatis solarium procurare patrem oportet; maritus autem eo solatio haud indiget. Tu ergo, quamvis nec istas caeteris paribus spernamus adductas rationes, reuertere ad *curia
de mortuis*, unde sponte communionis prorogatio fluere videtur. Ex hoc condominio, tanquam yberrimo fonte, manant praecipue iura, quibus praे liberis gaudere volunt statutariae leges parentem viduum sine discrimine sexus, siue patrem, siue matrem posueris. Etenim superstes facultates communes solus administrat, de iisdem disponit, iisque vtitur fruictur, neque in partes vocantur liberi. Nam si in domo parentis degant, accipiunt, quod opus, si vero eadem exierit, constitutis sibi propriis laribus, fructum sibi parens retinet omnem. Hinc HEINECCIVS, ICtus, dñm viueret, elegantissimus, in rationem huius vſusfructus, paterni ae-
que

que ac materni, inquirens, (c) eam non tantum in communi vtriusque parentis potestate in liberos, verum cumprimis in bonorum communione locat, scilicet beue gnarus, etiam post parentum potestatem, vel nuptiis filiarum, vel separata filiorum oeconomia, sublatam, ius vtendi fruendi bonis communibus, ex multorum statutorum praecepto, saluum ac integrum subsistere, quorum tamen cumulum hic adferre, nec iuuat, nec vacat (d). Sufficit hanc vsufructuariam dispositionem viduo coniugi omnino concedere carae Patriae iuria, quando cauent (e): *Haben Mann und Weib Kinder mit einander, und werden alle in den Ebestand begeben, stirbet der Mann, die Frau bleibt besitzen in allen Gütern: sie mag aber derselben keine weder verkaufen, versetzen, noch vergeben ohne der Erben Erlaubnis, es waere dann daß sie dieselbe bedurfte zu Unterhaltung ihres Leibes.* Quaecunque ergo in societatem connubialem deductae fuere facultates, superstitis dispositioni ac vsufructui relinquunt,

missis ioy, prisbociq; muris ad monachis ha verbum

(c) *Diss. de usufructu materno*, §. 26. & sequ. Apud Lubecenses quoque vsumfructum e communionis bonorum fonte praepucie promanasse, erudite monstravit CAR. FRIED. WINCKLER S. I. G. FÜRSTENAV in *Diss. de dispositione usufructuaria matris viduae ex iure germanico, speciatim Lubecensi*, §. 7. & 8.

(d) Vide tamen si lubet STAT. BREMENSIA VII. & VIII. in collectione a KREFTTINGIO instituta p. 270. & 281. IVRA PROVINCIALIA FULDENSIA ap. G. M. de LVDOLF in *mantissa ad Ols. For. T. III. pag. 612. §. 13.* & quae cetera profert Ill. BOEHMER doc. cit.

(e) IVS LVB. Lib. II. tit. 2. art. 8.



verbum enim *besitzen*, nec non alienationis exceptio, nisi ista ad sustentationem vitae opus sit, clare ostendunt, omnimodam administrationem, fructuumque perceptionem, solitarie in viduam esse collatam. *et Statuta quidem loquuntur de matre, ast, quo minus ea obtineant intuitu patris, nihil est, quod impedit.*

§. XIII.

Tollitur separatione, quae regulariter intuitu parentis voluntaria est.

Quae cum ita sint, quis non quaerat hic merito, quomodo illud condominium, vel si manuis, illa bonorum communio cum liberis perpetuata, cesseret ac finiantur? Recordamur, nos in antecedentibus meminisse facti cuiusdam, quod nomine separationis (a) insignitur, cuius ope, viuente superstite, huic demum communi iuri finis imponitur. Immo haec facultas recessendi ab isthac societate, iterum solis parentibus vindicatur, ut ad diuisionem bonorum procedere, vel etiam de-

(a) Varia separationis elogia in legibus germanicis occurunt, ut videre est apud ornatissimum ICTUM HERM. GE. BVNEKAV Diss. de separatione liberorum §. 7. Praeter solitas autem appellations der Abteilung, Absonderung, Abscheidung etiam dicitur die Schichtung in STATUT. LEMGOV. penes HALTAVS in Glossar. b. v. de Delinge in STAT. LVNEBURG. antiquis a summo DREYERO in boris subcesuis editis p. 364. Cum vero hac separatione liberis certa portio adfigetur; illa ipsa adfiguratio legibus patriis subinde appellatur der Auspruch, ut Lib. II. tit. 2. art. XXXIII. ad quem vide MEVIVM.

denegare eandem, vrgentibus forte liberis, pro libitu valeant. Patet hoc tum ex art. *XXIX.* Tit. *II.* Lib. *II.* PATRIARVM LEGVM, qui parentis arbitrio expresse committit, vtrum diuidere velit, nec ne, verbis: *Ein Mann der mit seinen Kindern theilen will, -- das mag er wohl thun* (b), tum ex aliis statutariis iuribus, veluti BREMENSIVM (c), BRVNSVICENSIVM (d), GOSLARIENSIVM (e), HAMBVRGENSIVM (f), & quam plurimis aliis, quae eadem sanciunt. Fundamentum huius parentum favoris, in reuerentia ipsis a liberis debita forsitan querendum erit, cui sane repugnaret, si ab his inuiti vel ad continuandam, vel ad dissoluendam bonorum communionem adigi possent (g). Nec equidem fore spero, qui dictis refragari putent *ius nostrum* in art. *XI.* tit. & libr. alleg., vbi, sublato per mortem alterutrius coniugis matrimonii vinculo, liberis in tutelam suam peruenientibus, portionem hereditariam ex

H parte

(b) cf. MEVIVS ad h. art. *n. 2.* & squ.

(c) *Stat. XXIII.* cui inprimis iungi debent *Statut. VII.* & *VIII.* quibus licet exceptiones ab hac regula tradantur, eandem tamen in casibus non exceptis viue comprobant.

(d) *P. I.* art. *XXIX.* & *XXX.* ap. LEIBNITIVM *T. III.* rer. brunsi p. 436.

(e) art. *LXXXIII.* & *LXXXIV.* apud EVNDEM p. 488.

(f) *P. III.* tit. *III.* art. *III.*

(g) Aliter STEIN in *com. de I. L.* germanico scripta sermone & iam saepius alleg. *Lib. II.* tit. *II.* §. 213. not. ** istud parentum ius ex naturali eorum tutela, cui liberi subiecti sunt, deriuans.



parte praedefuncti patris vel matris exigendi facultas datur, etiam si superstes in viduitate permaneat, neque nuptiis secundis societatis cum liberis continuatae nuntium mittat. Tametsi enim, ex hoc articulo, non unus error irreperitur, quin etiam forum turbauerit, de alio tamen casu hunc loqui, quam de diuisione, vi cuius omnino liberi separantur, & de qua nobis hic sermo, solide ac scite monstratum iuit B. MEVIVS (h), quem in praesenti exscribere nolo. Vane igitur sibi blandiuntur, quicunque hoc telo regulam illam, tot legibus atque statutis stabilitam, nec minus a patriis iuribus agnitarum, confodere audent, quasi separatio Lubecae saltim non utique in voluntate parentum sita sit, sed liberis quoque, ad perfectam modo aetatem peruererint, indistincte, utrum parens viduam vitam continuare, an repetitis votis nouellum sibi sociare thori consortem malit, ad diuisionem prouocare permittatur (i).

§. XIV.

Non inane esse liberorum condominium offervitur.

Cui autem bono, inquies, illud liberorum condon-
minium

(h) ad I. l. art. 25 loc. alleg.

(i) Sententiam, quam sequitur, praecipue refutandam sibi summis amantissimus Frater IO. AVG. BVCHHOLTZ in diss. de Imperati-
uīs Iuris Lubecensis Soll, Muß, Gebüret zu theilen &c. qua
A. CICIOCLXIII. aditum sibi ad summos in iure honores pate-
fecit moderante B. KORTHOLTO, sed Ipse testimonium beni-
gne mihi perhibuit, sententiam nostram calculo suo iam du-
dum



minium, vanum re vera, suisque effectibus destitutum? aut qualis ea societas, quae penes vnum omne commodum, penes alterum nihil esse emolumenti sinit? Ita est, quiescit ius liberorum in bonis indiuisis, morte parentis quaesitum, quoad vsque superstes in viduitate persistit, sed nihil erit ista obiectio, quod nullos vnuquam prodat effectus, Quin ego ab utilitate hoc institutum germanicum vel maxime commendo, quippe quo non minus liberis atque parentibus bene consulitur. Agedum paucis asserta expediamus.

Primo, superstes potitur solus administratione, cum plena vtendi fruendi potestate coniuncta. Sed, cur conquerantur liberi, non habent, dum parens superstes iis vitae subsidia praebet, ac pro ratione sexus eosdem elocat, instruit, iuuat, pro modo facultatum. Nec iste parentum vtilisfructus, qui re vera speciem domini vtilis constituit, & mirum quantum distat ab vstufructu iuris Romani, in re aliena duntaxat querendo, aut iniquitatis aut damni quidquam in liberos conferre valet, siquidem ita vtendum fruendum communi patrimonio, vt salua maneat proprietas filiis filiabusue in bonis indiuisis pro parte competens. Quare IOANNES ALMERIVS, doctus statutorum Bremensium Inter-

H 2 pres

dum probasse, seque LL. Germaniae concordes inuenisse in eo, ut coniugi superstite electio concedatur, velutine dividere, an communionem continuare,



pres (a), recte monet, viduum non esse proprietarium in solidum, verum proprietarium suae partis.

Deinde, quod liberis negetur ex regula prouocatio ad separationem, ut haec potius ab arbitrio ac voluntate parentis dependeat, solummodo commodum, nequaquam vero incommodum prolis continet. Quodcunque enim superstiti, in communione bonorum cum filiis prorogata, vel ex rerum communium redditibus vel aliunde obuenit, hereditas nempe, donatio, aliudue acquisitum, id vniuersum liberorum consortium simul esse pro indiuiso incipit, vt, si quandocunque diuidendum sit, vidui viduae & acquisitorum rationem habere debeant, non inspecto tempore acquisitionis, an viuo utroque an alterutro saltem coniuge bona aduenierint. Siccine vero morae, si ita ex iudicio forte liberorum, qui quantocvus fieri possit, portionum suarum fieri compotes anhelant, loqui fas est, haud spernenda contingit pensatio, quando omnium communium bonorum, eaque inter & illorum, quae in viduitate coniugi obuenere, dimidiam capiunt? IVRE LVBE-CENSI (b) eam in rem perspicue cauetur: Faellet ei-nen Wittwer, oder einer Wittwen, welche Kinder haben, Erbguth an, oder wird ihnen etwas gegeben, durch was weife es sey, oder sie sonst gewinnen, und erwerben, solches alles sollen sie mit den Kindern zugleich theilen, doch mit diesen Kindern, welche nicht abgesondert seyn, denn die-

(a) ad supra cit. stat. VII. p. 270.

(b) Lib. II. Tit. II. art. XVI.



diejenigen, welche von den Eltern abgeschieden, haben nichts zu fordern. Idem, ni fallor, exprimit phrasis antiqua, (c) die Frau bleibt mit den Kindern in Gedeyen und Verderben sitzen, id est, societatem bonorum inter parentem & prolem communis commodo nec non periculo continuari, nisi quod liberi in eo melioris conditionis sint, ut bona aliunde quaesita in eam communionem deducere minime cogantur.

§. XV.

Vlterior asserti expositio.

Ne autem in totum quiescere ac dormire quasi dici possit ius liberorum in bonis communibus, dantur casus, vbi vtique expergiscit, ac vim suam omnino exserit. Etenim in superstitem licet collata sit dispositio facultatum, caueas tamen, ne arbitrariam ac illimitatam prorsus tibi singas animo alienandi potestatem. Quatenus nempe alienationem necessitas flagitat, eatus licite suscipitur. Vbi ergo aes alienum, bona communia grauans, extinguendum, aut dotes constituedae, aut sumptus in studia erogandi, suo iure superstes parens vel ad venditionem vel oppignorationem rerum proceder. Idem quoque licebit, cum viduus viduae eguerit rebus in vitae sustentationem, quod clare dis-

H 3 ponit

(c) obvia in *Jur. patr. Lib. II. T. I. art. 3.* Eandem habet I. PROV. WVRSATICVM art. 2. §. 2. ap. *Perill. de PVEENDORF in app. T. I. Obs. p. 62.*



ponit IUS LVBESENSE (a). Quamuis vero singulare videri possit, quod ipsae res, ex quarum caeteroquin redditibus alimenta sumuntur, ad eorundem comparationem alienentur, statutum nihilo secius recessit a regula, & exceptionem posuit, ut deficientibus fructibus proprietatis alienationem superstes recte suscipiat. Tantum scilicet abest, quin liberi desideriis parentis tunc contrariari atque sepe opponere valeant, ut etiam ad egenum patrem, matremue egenam, de suo suppetias ferre obligentur. Notanter quidem adiicitur statuto, prius faciendam iurato fidem inopiae, quam alimoniae ergo ad venditionem rei deueniatur, verbis: *welches sie (de vidua enim matre loquitur lex) zuvorn eidlich erhalten muß*, verum haec iuramenti delatio tum demum locum inuenit, vbi de inopia parentis dubium exsurgit, quod nulla alia ratione eximi potest. Etsi enim liberis honesta & sancta parentum persona debeat esse, atque idcirco ius ciuale postulationem, quae doli fraudisque habeat mentionem, aduersus eos intentari vetet (b), adeoque & iuramentum calumniae iis remittat (c), at-
tamen

(a) *Lib. II. tit. II. art. VIII.*: cf. HEESERV^S *de bonor. & aequit. coniug. com. P. I. c. 8. n. 185. & 203. GAIL Lib. II. Obs. 22. n. 14. & MEVIVS ad art. alleg.*

(b) *I. 2. ff. de obsequ. Par. & Patr. praef.*

(c) *I. 7. §. 3. D. eod.* Nec huic aduersatur *I. 34. §. 4. D. de iureinurando.* De iuramento enim calumniae, a iudice ex officio delato, intelligenda est, ut tunc neque Patrono neque Parentibus praestatio illius remissa sit, cum index litigantibus nullam debeat reuerentiam.

tamen quando iusurandum ob rem, seu de re in iudicium deducta praestandum est, haud remittitur, fatente Paulo ICto (d), a qua iuris ciuilis dispositione non discedit ius patrium.

Hactenus igitur alienatio viduo parenti relinquitur, qua necessitati, domesticisque rationibus respondet. Quos si egrediantur constitutos sibi limites, nulla est, nisi in eam vel consenserint, quorum ob condominium vnicce interest, liberi maiorennes, vel vbi propter aetatem consensum impertiri nequeunt, cognatorum voluntas & magistratus auctoritas accesserit; quandoquidem commodis liberorum magistratus non minus, ac ipsis cognati, iure germanico ut consulant, perfecte obligantur. En condominii primum effectum, consensum nimirum liberorum iustae aetatis, in alienationem a parentibus circa necessariam causam suscipiendam! Quantacunque alias etiam pro auctoribus vitae, in tuendis prolis procreatae facultatibus, auertendisque incommodis, militat praesumptio, laudanda tamen non nullorum statutorum accuratior sanctio, quae ab alienationem, immobilium praesertim bonorum, interdicit, eamque non aliter, quam causa diligenter a magistratu per pensa ac cognita, procedere permittit, propter abusus facile inde emergentes, ut, etiamsi nequaquam male cupiat soboli parens, quin utilitati fore liberorum alienationem existimet, saepius fallatur, atque,

quorum

(d) l. 14, ff. de Iurejurando.



quorum commodis prospicere voluit, eos maximo danno adficiat. Ita IVRE LVBECENSI & HAMBVRGEN, si dispositionem parentum, immobilium intuitu sine magistratus decreto haud procedere MEVIUS (e) atque HEINECCIUS (f) docent.

§. XVI.

Expositionis continuatio.

Longe efficacius se denique sifit liberorum ius, quando bona communia male administrantur, vt meatus sit, ne facultates propter negligentiam vel prodigalitatem parentis prorsus intereant. Et quamquam Senatus, vel etiam propinqui, prius admonitorum partibus fungi soleant, vt prodigali negligentique vita defistat; quibus si morem gesserit monitus parens, ipsi haud interdicetur administratione rei familiaris communis, sin autem dissipando bona prauo obtemperare genio perseuerauerit, atqui spes nulla adsit, libidinem cessuram amori, natura caeteroquin erga prolem parentibus insito, vi cuius bene cupere liberis iubentur, his datur facultas obrectante licet patre vel matre ad separationem prouocandi (a). Praeter hunc metum

dila-

(e) ad IVS LVBEC. loc. alleg.

(f) *Diss. de usufr. materno* §. XXXVI. Instar omnium consule breuiter quidem sed accurate haec declarantem G. L. BOEHMERVM D. saep. alleg. §. XIII. & XIV.

(a) cf. G. L. BOEHMER *Vtr III. D. all.* §. XXIV. Si statuta cupis, euolvas quoefso LEGES PROVINCIALES FVLDENSES apud

G. M.

dilapidationis & alia iustissima incidit causa, vbi idem indulgetur liberis, quando superstes ad secunda conuoluta vota, nec prius, sui officii memor, sponte separationem aut diuisionem suscepit. Scilicet haec diuidendi necessitas, plerisque Germanorum legibus antiquis, pariter ac recentioribus (b), parenti nuptias concupisci

G. M. DE LUDOLF l. c. quae dispositionem bonorum communium sub hac conditione superstiti relinquunt, quatenus ea prodigalitatem haud spirat, *in so lange nicht verschwendereß gehaußt wird*, in casu dissipationis autem magistratui rei liberorum proficiendi iniungunt officium, *dann die Obrigkeit solchenfalls Einsebens darinnen zu thun baette &c.* Idem cauient BREMENSIVM IVRA, cum matris, tum patris intuitu. Ita enim Statuto VII. Stervet de Mann allerersten, und bolt sich de Vrouwe woll und erlicken, na eres Mannes Doede, de Vrouwe mag mit even Kindern frylicken sistern an Erve uad in Goede. Statut. VIII. Stervet enes Borgers Wyf, de Mann seal frylickem mit synen Kinderen sonder jenigke Hercscop besitten syn Erve und syn Goed. Man levede de unredelicken, dat be syn Erve und Goed, und syner Kinder unnutlichen tobringem wolde, de Radmanne unser Stad, und der Kinder Vriende, und syne Vriendscup, de scollen en vermanen, dat he des vortie, und en deit he des nicht, so scollen de Radmanne, mit der Kinder und synen Vrienden ebme geven synen Del des Erves, und des Goedes, dat andere scollen fe den Kindern troulick holden. Quid Lubecensium praxis hac in re seruat, MEVIVS l. c. ad art. VIII. docet.

(b) Veluti STATUTIS LVNEBURGENSIBVS apud Perill. DREYERVM
in



scenti imponitur, & hoc non sine ratione, cum, quod indies docemur quotidiana experientia, noui coniugis amores, quo minus superstes dulci officio fungatur er- ga prolem prioris connubii, impediant. Quid? si quo- que in initio restiterit nouercalibus blandimentis, non plane tolletur ista suspicio, fore, vt demum succum- bat repetitis ac crebro factis petitionibus, mellitusque sermonibus, & sic corruptus vltimo de sanguine suo maligne iudicium ferat, ne incommoda memorem, in liberos certo certius redundatura, quando bona com- munia in nouam cum secundo coniuge deducere com- munionem moliretur superstes. Sapienter itaque maio- res

*in den Nebenstunden pag. 389. GOSLARIENSIBVS art. LXXXIII.
ap. LEIBNIT. Tom. III. p. 488. BRVNSVICENSIBVS art. XXX.
penes EVNDEM p. 436. HILDESIENSIBVS ap. Perill. DE PV-
FENDORF. T. IV. Obs. Iur. Vn. in app. p. 305. STATVTO
GOTHANO art. XVI. FRANCKENHVSANO art. XXVIII. STA-
TUTARIO IVRE SVINOFVRTHENSI scđt. V. tit. LIV. §. 1. vbi
hoc per formulam, die Theilung werde verwircket, declaratur,
nam verbum *verwircken* idem est, ac culpa luac poe-
nam luere, ideoque commodis excidere communionis. Im-
mo alibi diuisio sub poena eo casu parentibus iniungitur,
vt Bremae viduac per Statut. XXII. So vvor en Weduve
vvere, dede Kinder bedde, und enen Mann nemen vvolde,
de en scall nicht byslapen, se en hebbe to vorne gedelet mit
eren Kindern, und der Kinder Vorminder to der Kinder
Hand, by so stig Punden; idem in STATVTA VERDENSA trans-
latum, vbi art. XX. totidem verbis occurrit, apud DE PV-
FENDORF.*

res constituerunt (c): Stirbet einem Manne sein Weib, und haben sie mit einander Kinder gezeuget, greift er denn zu der anderen Ehe, so sol er Recknung thun den Freunden seiner Kinder; will er das nicht thun, so sol man ihn mit Rechte furnehmen, und darzu zwingen, daß er Rechenschaft thun muß: Waeren auch die Kinder fremde, und haetten keine Freunde, welche die Rechenschaft befördern koennten, so soll der Rath, wann ihnen dasselbe zu wissen gethan, und darum ersucht werden, ihm von Amts wegen zur Rechenschaft halten, und also beschaffen, damit den Kindern das ihre bleibe. Gleichergestalt soll es auch zugehen mit der Frauen, und ihren Kindern, wann ihr der Mann stirbet. Quod vero in eo articulo de rationibus reddendis praecipitur, ne sic accipias, caue, quasi binubus parens omnium actorum tempore viduitatis, praesertim quoad bona communia, instar administratoris rationes reddere teneatur, etenim accepta & expensa conscribere & exhibere haud opus habet. Quousque nempe subsistit communio, superstiti in omnibus bonis, pro induiso communibus, condominium competit, ideo-

I 2

que

FENDORF. l. c. T. I. in app. p. 84. Loquitur ut videre est, Bremensium ius de matre vidua tantum, pater enim in hoc prae muliere potiori vituri iure, quod, etiamsi in novellae coniugis amplexus ruat, ad separandam prioris thorii progeniem nequaque compellatur, ex statuto VIII. Vide sis CASP. A RHEDEN in *Diff. de successione coniugum statutarie Bremensi.*

(c) Lib. II. Tit. II. IVR. LVB. art. XXI.



que pro alienis haberi nequeunt, quare nec administrato-
ris nec usufructuarii partes agere parentem in conti-
nuata cum liberis bonorum communitate, in aprico est.
Immo statuta nostra durante viduitate de parentibus
optime dum presumunt, nullibi rationum redditionem,
quam alias administratores rerum alienarum praestant,
exigunt. Simulac vero superstes ad secunda vota pro-
cesserit, atque separationem tum necessario ineundam
cum liberis neglexerit, vicem subiisse administratoris
censetur, quandoquidem bona, diuisione in liberos
transferenda, iam aliena esse reputantur. Hinc est,
quod patrium ius ad rationes reddendas, eoque simul
ad inuentarii confectionem, adigat binubum, adeo ut
teneatur aperire statum bonorum suorum, de his libros
& instrumenta proferre, deque iis, quae prodige abli-
guriuerit, aut fraudulenter, inque pernicem libero-
rum gesserit, respondere, denique si quoque durante
viduitate quaedam alienauerit, quorum alienatio fieri
haud poterat, in rationes & sibi accepta referre, pro-
ut egregie rem tradit ME VIVS (d). Atque haec
is in παροδῷ dicta sunt. Sufficit quippe hoc loco mon-
strasse, ex illa diuidendi necessitate, parenti vltiores
nuptias meditanti imposita, vtique constare de efficacia
εὐδεσποτειῶς, in quam succedere liberos morte alterutrius
pa-

(d) ad art. mod. citat. in additione, quo modo & HAMBVRGEN-
SIVM IVS recte interpretari nos posse confido, de quo agit
HEINECCIVS Diff. citat. §. 34. neque pigebit consuliisse G.
L. BOEHMERVM, Virum sumnum, Diff. cit. §. XXVI.



parentis diximus, & nihil esse obiectiones, quod istud
ius condominii vanum, nullisque effectibus praeditum
sit.

§. XVII.

Transitus ad quaestiones obuenientes.

In isto igitur legum germanicarum concentu,
quo omnes, vbiunque bonorum communio viget, com-
modis liberorum prouida cura inuigilant, sponte suc-
crescit quaestio: vtrum, quoniam dispositio facultatum
communium superstiti parenti tribuitur, eidem quoque
comperat testamenti condendi ius, an potius separatio-
ne librorum neglecta, prorogataque cum iis rerum
societate, eo ipso huic libertati repudium misisse &
testamenti factione sese abdicasse censendus sit parens?
Sed antequam ad haec ~~eniquata~~ respondeamus, per
partes & hic ire praestat, ne vaga currat oratio. Prius
itaque dispiciendum, puto, num bonorum communi-
tas generatim spectata ultimarum voluntatum auerse-
tur elogia? id quod nec affirmare nec negare audemus.
Duo nimirum ab inuicem separandi sunt casus, aut
enim de testamenti factione sermo est stante connubio,
aut demum soluto eo per mortem alterutrius coniugis.
In utraque autem visione, id denuo inspiciendum ve-
nit, an liberi existant, nec ne. Agedum ad hanc amus-
sim rem totam componere, periculum faciamus.

I 3

§. XVIII.



§. XVIII.

De testamenti factione in matrimonio improli.

Durante matrimonio, eoque prole haud ditato, si de facultate testandi sermo sit, eandem coniugibus negant statuta, e quorum dispositione superstiti debetur vniuersitas bonorum pro communi possessa. Nam cum virtute communionis ipso iure continuet bonorum hucusque communium possessionem, nulla coniugum alteri in praeiudicium iuris superstiti quaesiti tribui potest de bonis disponendi facultas, nulla factio testamenti, nisi vtriusque consensus accedat (a), & singulus renuntiet fauori pro se introducto, ut hoc modo redeat, quam illa societas admit, libertas. Ita e ceteris vrbi- bus BREMAE seruari, claret statuto eiusdem ciuitatis *septimo*, nisi quod vxori de tribus optimis vestitus sui partibus indulgeat dispositionem *statutum* numero *decimum tertium* praeclaro commentario ornatum a B. CASP. a RHEDEN (b). Morte autem diremto coniugii vinculo, nullisque liberis existentibus, iure quippe

O.

(a) H. A. LANGE von der Gemeinschafft der Güter unter teutschen Ebeleuten. Cap. VII. §. 10. §. 12.

(b) D. de restricta disponendi in primis testandi facultate vxorum Bremenium. Similes constitutiones repertae in IVRE DIT- MARSORVM antiquo art. CXXIII. apud DE WESTPHALEN in Monum. inedit. T. III. p. 1800. & terrae SCANIAE LEGIBVS PROVINCIALIBVS ibid. T. IV. p. 2067. in Cod. antiqu. IVR. HAMB. P. IV. c. 4. eod. loc. p. 2098.

❀ ❀ ❀

omni circa bona ex communionis lege ad superstitem
deuoluto, liberum illius esse de iis disponendi arbitrium,
ipsa loquitur res, quoniam solo alterius coniugis,
quoad viueret, iure circumscriptum erat. Quem-
admodum autem in illo casu tota prohibita testandi
facultatis ratio, iure ex statuto vnicuique coniugum
in vniuersum utriusque patrimonium quaesito con-
tinetur, alibi sane, vbi legibus tantum certa defini-
tur bonorum portio, quae ex communi re familiari
in superstitem thori consortem transeat, vt in Repu-
blica Patria semissis facultatum defuncto ante contra-
etum connubium propriarum, (vide quae diximus
§. VI.) in totum minime prohibita videtur testa-
menti factio, adeo vt LVBECAE maritum, de portio-
ne bonorum, quae vidua vxor cum heredibus eius
diuidere tenetur, stante connubio testari posse credam.
De muliere tamen aliter dicendum erit, vt ratione se-
missis a viris proximis vxoris heredibus restituendi,
non adeo simpliciter testamentum condere valeat, per
ea, quae art. XIV. Tit. I. Lib. II. praecipiuntur (c).

§. XIX.

(c) En verba statuti: *Es kan keine Frau nach Lübischen Recht ein Testament machen, es sey ihr dann die Macht von ihrem verstorbenen Manne in seinem Testamente gegeben, doch von den Gütern, welche ihr der Mann gegeben, und zu vertestiren gegoemet hat, und nicht von Erbgütern. Waere sie aber eine Kauf-Frau, und also vor dem Rathe gezeuget,*



§. XIX.

De testamento coniugis in casu matrimonii prole ditati.

Aliam faciem induit, si prole foecundum sit matrimonium, coniugum testandi licentia. Tametsi enim liberi ex nuptiis, sub lege communionis bonorum vniuersalis celebratis, prognati nativitate sua & simulante in lucem eduntur, compositione coaliti in vnam massam vtriusque parentis patrimonii, frui, nec non gaudere censendi sint, immo post alterius obitum, re vera vacuam occupent condominii partem, respetu nimirum bonorum in matrimonium olim allatorum, vniuersique accrescentis lucri vel damni contingentis, cum superstite societatem prorogantes, ideoque his positis principiis prona ad ratiocinandum videatur via, ut quod vetitum sit inter coniuges orbos, idem vetitum esse oporteat liberis existentibus; dantur nihil secius iura Germanica, durante matrimonio, non obstante communione vniuersali, certae partis bonorum alienationem cum inter viuos tum mortis causa coniugibus permittentia. Lubet iterum testimonium denuntiare BREMENSIVM IVRI, in cuius Statuto X. sequentia habentur: *So welk Mann Erven heft,*

*get, so mag sie ein Testament machen von ibrem vwohlge-
vponnenen Gute, doch mit ihrer Vormündere und næchster
Erben Bevvilligung. Hinc quamvis alibi in Germania fre-
quentissima inter coniuges sint testamenta reciproca, tamen*

ne

heft, de mag by sinen funden Live, edder in sinem suik
 Bedde wech geven sinen Deil, de oehme toboeren mach,
 van alle sinem Gude wor he will. Cum ergo disertis
 verbis donationis quoque, quae mortis causa fit,
 mentio iniiciatur, nullus dubito, eorum sententiae al-
 bum calculum adiicere, qui propterea nec testamenti
 factionem excludi autumant. Iam vero nostrum non
 est, multis inquirere, qui sub compellatione Erven,
 vtrum vxor liberique simul, an solum posteriores in-
 digitentur, adeoque de patre superstite duntaxat verba
 faciat statutum, licet huic interpretationi aduersari vi-
 deantur statim subiecta: *is he ock sunder Wif und sun-
 der Kinder.* Multo minus nos occupabit mora, ex
 penitiore portionis, cuius intuitu Bremensi marito alien-
 natio indulgetur, computo, necessario oriunda; cum
 iam alii animaduerterint (a), portionem secundum nu-

K merum

ne ea quidem Lubecae subsistunt, nisi vxor iam maritum ha-
 buerit, isque ei testamento potestate testandi diserte con-
 cesserit. IUS LUBEC. *ibid. art. X* Vtroque vero loco MEVIVS
 obseruat, id ius tantum intra pomoeria urbis custodiri, Ro-
 stochi enim, Stralsundi, Gryphswaldae, aliisque locis, vbi
 caeteroquin Lubecensium iure viuitur, feminas quascunque &
 sine curatorum cognitorumque consensu testamenta iure fa-
 cere. Idem de ciuitatibus Holsaticis iure Lubecensi utenti-
 bus testatur NICOL GOTHOFR. STEVERNAGEL *Memorab. Stat.*
Lubec. & Hamb. Axiom. XXIV. p. 44 Vide quoque
HEINECCIVM politissima Diff. de testamenti factione iure germ.
arctis liniribus passim circumscripta, §. XVI.

(a) Vid. HENR. LAMPE *Diff. de testamenti factione Bremensi Cap.*
 2. §. 4. pag. 68. sq.



merum sociorum, computatis scilicet parentibus & liberis, esse determinandam, ita ut de bonorum communium indiuisorun parte quota, ad patremfamilias tum ventura, si bona inter omnes socios diuiderentur, eidem testari liceat, quae adeo portio pro liberorum numero mox maior, mox esse potest minor.

Quod Rempublicam patriam attinet, ibidem marito de bonis communibus constante matrimonio testandi licentiam competere, passim innuunt IVRA NOSTRA. Ita enim art. III. Tit. I. Libr. II. Ordnet jemand sein Testament, und giebt seiner Frauen ihr bescheidenen Theil, oder aber auch seinen Kindern, bleibt dann die Frau mit den Kindern in Gedey und Verderb besitzen, werden nun etliche der Kinder aus dem gesampften Gute abgesondert, und stirbet alsdann die Frau, das Gut soll bleiben bey den Kindern, welche noch in den gesampften Gute ungeschieden sitzen, und nit bey denen, welche abgesondert seyn. Nint aber die Frau ihr Theil zu sich, und stirbet darnach, solch ihr Theil faellt zugleich auf alle Kinder, gesondert und ungesondert, nach Hauptzahl. Secundum hunc igitur articulum dispositio facultatum marito mediante ultimo elogio inter liberos & vxorem permittitur, modo vxor competente portione, ihres bescheidenen Theiles, haud defraudetur, cuius caeteroquin placito relinquitur, accepta sibi adsignata portione semetipsam a liberis segregare, an vero cum marito coeptam bonorum omnium communionem rebus manentibus

nentibns indiuisis cum liberis prorogare velit: id quod
 itidem electioni liberorum datur, vt non praecise sta-
 re teneantur separationi patris testamentariae. Tantum
 tamen abest, coniugem praecise coniugi relinquere
 oportere statutariam portionem ab intestato debitam,
 quidquid etiam in contrarium COTHMANNVS eius-
 demque asseclae adferant, vt potius determinatio eius,
 quid in vxorem suam collatum cupiat, a mariti vo-
 luntate pendere videatur. Cui quippe bono testamen-
 to ea distributio fieret, si mere e statuto suscipienda
 esset, nec testantis arbitrium aliquid posset. Clare id
 confirmat art. VI. eiusd. tit. hac verborum periodo:
*Würde er aber sie, die Mutter, mit bescheidenem Gute
 abtheilen von den Kindern, so soll sie behalten, was er
 ihr gegeben hat; clarius vero art. VIII. eod. nam si
 semissis ab intestato alias debitus (b) necessario relin-
 quendus esset, mulier frustra ibidem filiali sive virili
 portione & octo praecipue solidorum quatuorque
 obolorum iuberetur esse contenta. Sic enim ait: Und
 giebt er alsdann ferner sein Gut seiner nachgelassenen Witt-
 Frauen und ihren Kindern, wosfern er ihr der Frauen
 nicht dabey ein Vortheil macht von acht Schillinge vier
 Pfenningen vor den Kindern, mit welchen ihr das Gut
 gegeben ist, so nimmt sie allsdann das halbe Gut und ih-
 ren Trauring. Benencket er aber seiner Wittfrauen zu-
 voraus ihre Gabe oder Legatum, welche mehr werth ist,
 dann 8. Schilling 4. Pfennung, so gehoeret ihr nicht mehr*

K 2

als

(b) art. II. & III. tit. II. Libr. II.



als ein Kindes Theil: omnium denique apertissime art. X. eiusd. tit. cuius verba postrema hanc litem optime componunt. Hic nempe mulieri de bonis in ipsam per mariti testamentum translatis, & facta eidem a marito prioris coniugii licentia, testamenti condendi datur libertas, vi cuius secundo marito, aut cui velit, legare poterit. Notanter autem adiicitur: *Also mag auch der Mann vor sich ein besonder Testament machen, und seiner Ehefrauen, was er ihr geennet, geben und legiren.* Prono itaque sequitur alueo, dispositionem maritalem inter matrem liberosque non infirmari inaequalitate, nisi nimis magna aut immoda in primis quoad posteriores fuerit, quo de pluribus agit CARPOZIVS (c). Num vero paterfamilias testamento praeter vxorem liberosque personae extraneae relinqueret quid valeat, valde dubitamus in tam alto legum patriarchum silentio. Praeterea aduersatur indeoles communis, quae in casu existentium liberorum morte unius socii haud tollitur, & quorum adeo portiones pro indiviso in bonis communibus competentes per adiectionem extraneam personam minui non possunt. Ut enim marito testamenti factio potiatur inter liberos & coniugem, illa diuisio testamentaria nullo in commodo adicit prolem, quandoquidem distortes filii filiaeque nihilominus matri succedunt, immo mater de his,

(c) *Iurispr. forens. P. 3. c. 4. n. 22. § 23.* Vide sis quoque late super hac causa disputantem MEVIVM ad I. L. Lib. II. tit. I. art. VIII. n. 61. sgu.

his, quae ex testamento mariti nacta fuerit, bonis, non aliter testari potest, quam si hoc ipsi coniux defunctus concederit. Verum in hac festinatione, quam nimium premor, per transceniam quasi rem istam testigisse sufficiat. Quorsum enim inclinat animus, aperte, forte plura daturus, si Patriae redditus fuerim, vbi pacatiore non possum non otio frui.

§. XX.

De testamento parentis superstitis, licet nulla antecesserit separatio liberorum.

Restat, ut de superstitis parentis testamenti factio-
ne videamus, liberiore sane, & vbiique fere superu-
uenti vindicata, nisi expresse vel lege vel statuto pro-
hibeat. Licet enim nulla liberorum antecesserit se-
paratio, continuatam cum iis ~~cononcavias~~ nihil testandi
licentiae obesse, optimorum ICtorum sententia est,
quam recte sese habere arbitramur. Quicquid autem
iuris pro se allegare valeant consortes liberi ex com-
positione communis patrimonii, & simplici illo atque
naturae vel maxime conformi successionis Germanicae
principio, secundum quod alter mortuo socio bona
priuatius retinet; qui in eorum compositione com-
munione erat, scilicet, eodem iure & modo consortes
filios filiasue, utroque parente defuncto, vniuer-
sum occupare patrimonium sibique illud retinere ac
cum plena proprietate adquirere; haec utique vera

K 3

esse



esse crediderim, si parens non recesserit a societate bonorum cum liberis & intestatus decesserit. Habetur quidem inter alienationes testamentum, ut vel sub hac visione dubia videri possit testandi licentia, alienatione parenti, penes quem ceteroquin de facultatibus disponendi potestas manet, interdicta. At, vtut haec sint, ex supra traditis liqueat, eatenus alienationem vetitam esse, quatenus metus exoritur, ne in lacrimas prolis abeat, seu, vt clarius eloquar, quatenus in prae-iudicium vel detrimentum liberorum suscipitur: ex quo simul limites suos nanciscitur parentum testandi licentia.

§. XXI.

Argumenti continuatio.

Nulla ergo est parentis superstitis testamentaria dispositio, in quantum de omnibus bonis communibus ordinat, cum proprietatem, pro parte in bonis indiuisis liberis competentem, infringat, nemini vero de bonis tertio quaesitis lieeat testari. Valet contra de parte suscepta (a). Ast quali, quaeres, cum pro-

(a) Caveas vero, ne existimes, testamentum, in quo de vniuersis bonis communibus dispositum est, in totum nullum esse, sed quatenus excedit quantitatem bonorum, in irritum duntaxat recidit, ratione vero partis, intuitu cuius disponere licuit, salua manet dispositio testamentaria, prout iudicauit inclitus ICTORVM GOETTING. ORDO penes TOB. REINHARTHVM Obs. ad CHRISTINAEI Decisiones Vol. I. Obs. CXIV.
p. 181.

pter confusionem patrimonii nec haec nec illa parenti propria dici queat? Ita est, per separationem de-
 dum institutam res certae in proprietatem non mi-
 nus parentis diuidentis, quam liberorum segregato-
 rum, dducuntur, sed portio & ante initam diuisio-
 nem ratione communis patrimonii certa cogitari pot-
 est, quam leges statutariae adsignant parenti a com-
 munione cum liberis recedere cupienti. Atqui de
 hac parte intellectuali, seu, vt aiunt, quota, pro indiu-
 so in facultatibus communionis lege cum liberis con-
 iunctim possessis parenti concessa, quo minus eidem
 ius testandi competit, nihil est, quod vetat. Nihil
 enim inde decedit proprietati liberorum, nec ii, cur
 conquerantur, habent, cum parens iure suo vta-
 tur. Ecquis vero, ob communionis prorogationem,
 voluntariam certe, quoniam penes parentem supersti-
 tem stererat separare liberos, hunc renuntiasse faculta-
 ti testandi opinabitur? Pendet vtique separatio ex vo-
 luntate parentis, communionis autem continuatio
 magis ex lege est, & ipso iure procedit. Arbitrio
 igitur vidui vel viduae parentis id solum datum intel-
 ligitur, vt ista societate abire suaque parte contenti
 viuere possit, & quidem quandocunque libuerit. Hoc
 autem liberrimum arbitrium, modo quasdam excepe-
 ris causas, de quibus supra egimus, necessitatis refu-
 git vinculum, nisi expresse a legibus impositum. Un-
 de prono alueo fluit, in silentio statutorum, nullam
 esse separationis obligationem, si quando testari cu-
 piue-



piuerit parens, neque adeo refragari testandi licentiae communionem cum liberis continuatam. Multo minus inde elicetur renuntiatio testamenti factionis, quoniam hac ipsa declarare censetur testator, se stare velle societati, quo usque vita suppetit, post mortem vero ab ista recedere. Mirum etenim videri non amplius potest, quod olim mirabantur gentis Germanicae sapientes, hominis mortui post obitum adhucdum esse voluntatem, hocce inuento Romanorum ubique hodie num recepto.

§. XXII.

Vtterior argumenti expositio.

Quantitas bonorum, cuius intuitu superiuuenti parenti testari integrum esse hucusque docuimus, non una eademque viriis deprehenditur, siquidem alibi portio virilis, alibi dimidia communis patrimonii est, quae, separatione liberorum susceptra, ad superstitem venit, soluto matrimonio. Sic BREMAE viduum nihil ultra portionem virilem, numero liberorum determinatam, ex bonis communibus accipere, vel ex Statuto octauo liquet. Carissimae PATRIAE e diuerso iura semissem superstite adsignant (a), quibuscum & aliarum ciuitatum statuta amice conspirant (b). Ecce partem bonorum vnicce testamentariae dispositioni subiiciendam.

§. XXIII.

(a) ius IVE. Lib. II. tit. II. art. II. & III.

(b) veluti ius STATUTARIVM MINDENSE. Lib. II. tit. II. art. 18.

Cf. ad hunc locum CRVSIVS dec. 2.

§. XXIII.

Ex cuius temporis statu aestimanda veniat aestimatio portionis?

Discutiendum & illud, ex quoniam temporis puncto aestimatio portionis ineunda sit? cuius rei tractationem non melius nos inituros confidimus, quam si iterum ad bonorum diuisionem regrediamur, &, quae diuidenda, in memoriam reuocemus. Quandoquidem vero vniuersa omnino bona, quam praedefuncti quam superuiuentis coniugis, communitate facultatum cum liberis prorogata continentur, eadem omnia quoque in diuisionem deducenda esse constat. Concludimus hinc, si quando communio isthaec, superstitem inter & liberos iure legeque continuata, aut lege aut voluntate parentis tollatur, alium bonorum statum, quam qui fuerit tempore diuisionis, attendendum esse nullum, adeoque ex tempore separationis & incrementum & decrementum vel commodo vel damno liberorum cedere. Sunt tamen, qui quantitatem bonorum *ex tunc*, ut aiunt, seu ex tempore mortis praedefuncti coniugis aestimandam censem, quorum recensum dat **MEVIVS** (a), huic opinioni ipse accedens, verum satis inargute, quoniam non ex defuncti, sed ex illius & superstititis in communione haetenus seruatis bonis suscipienda diuisio, atque adeo & portiones praestandae sunt. Deficiunt quidem in hoc arguento definiendo statutaria iura,

L

maio-

(a) ad I. LVB. Lib. II. Tit. II. art. XXXIII. n. 54.



maioribus nostris, quae consuetudinibus inualuerant, communionis singularia generatim atque in folle quodammodo, statutis experimentibus repetentibusque, ut, si quo alio, certe hoc loco proh dolor! specialium determinationum lugenda sit penuria, quamuis haud defint ex indole communionis continuatae sat graues rationes, quae omnes pro ea, quae nobis sedet, sententia oppido faciunt, quasque praeter BODINVM (b) & FRIED. GVILIEL. PESTEL. (c) adduxit vterque BOEHMERVS, pater scilicet (d), & filius (e), quem inter cetera masculae iurisprudentiae lumina seruat Georgia Augusta, ne dicam de obseruantia fori, idem comprobante (f). Vnde quo minus nos actum agere insimulemur, ad eos alegare lectors iuuat. Idem autem dicendum esse in causa conditi a superstitie parente testamenti, nullus dubito, quin fatear. Saltim ad tempus, vbi haec ordinatur ultimae voluntatis dispositio, recurri nequit, tunc quippe nulla diuisionis cogita-

(b) *Diff. de differentiis iuris com. & statut. circa delationem hered. ab Intestato* §. 10.

(c) in *Disquis. Iur. Germ. de success. inter coniug.* ab *Intest. C. I.* §. 7.

(d) I. H. BOEHMER. *Consult. & Decis. Tom. II. P. II. Resp. 863. n. 27. 28. & Resp. 867. n. 9.*

(e) G. L. BOEHMER. *Diff. saep. alleg. §. XXVIII.*

(f) Tertiumonium Senatus Mindensis de hac re profert BODINVS in *Diff. de differentiis, quae circa materiam testamentorum in iure com. & statut. Reipbl. Mindensis occurrunt*, §. XXII. quod & excitat G. L. BOEHMER alleg. loc. not. (d).

gitatio testatoris subiit mentem, ita ut illico peragatur, neque enim, qui testatur, statim diuidit, sed prospicit tantum de iis, quae post obitum eius fieri cupit. Quousque igitur vivit parens, communio ipso iure perdurat, donec animum ab eo recedendi aperte declarat, qui animus vero ex testamenti factione per se spe-
tata perperam inducitur. Aliud est, si superstes a bonis communibus secreuerit liberos, atque post institutam separationem testamentum de sua portione ordi-
nauerit, tum enim factum praecedit, vi cuius ista so-
cetas rumpitur, & liberrima de propriis rebus dispo-
nendi ad parentem transit facultas, ex quo euidens fit,
testamenti factio[n]em diuisionis effectu nequaquam gau-
dere. Accedit, quod cuiuscunque generis ultimarum
voluntatum elogia vim suam atque au[er]oritatem ex
obitu testatorum sortiantur, nam fluctuat illorum va-
lor vel maxime incertus, donec, quae ad extre-
mum vsque vitae halitum ambulatoria ac prorsus in-
stabilis est, finem tandem & terminum nostra fuerit
mentis testatio, homine rebus humanis exempto. Quac-
cum ita sint, nolim tamen definienda portionis quan-
titati adsignare tempus mortis, vt plerumque pa-
rum distat ab eo, quo heretum hocce commune in
suas partes diuidi solet. Male certe ad ius Romanum
prouocabitur, quod in legitima determinanda, patri-
monii, quale mortis tempore fuit, rationem haberi
iubet. Causae sanctionis in promptu: scilicet quia sta-
tim post obitum parentis debetur, deinde ex bonis



ipsis defuncti praestanda est, denique ex portione ab intestato debita aestimatur. Nihil horum hic obtinet; primum enim nullum liberis succedendi ab intestato ius, nam etsi ponamus, superstitem sine testamento deceperisse, retinent magis vniuersum patrimonium condonii iure, quam quod successionis commodo portionem pro indiuiso parenti debitam adipiscantur, adeoque tum demum iis subuenient leges de successione latae, quando parens liberos separauit, illeque morte oppressus est, priusquam bonorum suorum extremam suscepit dispositionem. Secundo ne hilum quidem proli debet superstes parens ex ea patrimonii communis portione, quae ipsi obuentura fuisset, si viuens voluisset sibi eandem recipere, quandoquidem eo casu diuisio ex praedefuncti coniugis & ipsius bonis hactenus in communione seruatis ineunda erat. Sane secundum hanc amissim omnia hic quoque componenda esse existimarim. Saluae maneant portiones ex vtriusque parentis facultatibus liberis legum dispositione mancipatae, diuisio preecesserit (g), vel non, de cete-

ro

(g) Hinc si forte liberorum quis, portionem ex bonis communibus competentem non integrum se consequutum, queruletur, remedio *L. 3. C. commun.* vtriusque iudicij ad diuisiōnē in melius reformandam vti poterit. Ita enim Imperatores DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Aureliae Septimiae: *Maioribus eriam per fraudem vel dolum, vel perperam sine iudicio factis diuisiōnibus, solet subueniri, quia in bonaē fidei iudiciis, quod inaequaliter factūm ēst̄ constiterit, in melius reformatiūr.*

ro nihil habebunt, quod expetant; nihil quippe ipsis
debetur, nihilque praestandum. Etenim legitimam
hoc loco penitus exulare, responso comprobarunt
ICTI GOETTINGENSES (h), quare & exulat iuris
peregrini applicatio. Praeterea, quod magis magisque

L 3 meam

bitur. Cf. Venerabilem senem, summumque doctrina, ac
sapientiae laude, Perill. Virum GEORG. CHRIST. GEBÄVERVM
de hercō cito in melius reformando, & quea habet H. H. AR
ENGELBRECHT in specim. I. obs. forens. obs. XI. Si vero di
uisio facta ratione quorundam liberorum tantum, inique ta
men, vt qui non separati fuerint iustum causam conquerendi
habeant, veluti quod plane nulla bona supersint, vnde por
tionem suam capere valeant, aut saltem reliqua bona tanti
haud sint, qui possint istam saluam sibi habere, vel ad exem
plar querelae inofficios testamenti, querelam inofficios ab
dicationis, vel actionem ad supplendum id, quod deest, ipsis
concedet aquitatis ratio.

- (h) apud TOB. IAC. REINHARTHVM in selectis obseruat, ad P. CHRIS
TINAEI Decis. Vol. I. Obs. LXIV. In haec autem responderunt
verba: *Ob aber gleich, so viel nunmebro die fünfte Frage,
(ob nicht aus übriger Halbscheid, so coniugi superfliti bevor
bleibe, den Kindern Legitima gebübre, und absque omni one
re belassen vverden müsse?) belanget, bey einer zwischen
den überlebenden Ehe-Gatten und denen Kindern vorgegeben
den Güter-Theilung, diejenige Helfste, welche diesen zuge
theilet zu vverden pfleget, vor eine bloße Erbschaft des Ver
storbenen, und nicht zugleich pro Legitima ex bonis super
flitis simul acquista anzusehen seyn mochte, in weiterer
Erwagung bekandten Rechtems ist, quod neque viuentis
detur hereditas, neque in vita parentis debeatur legitima,*
folg-



meam sententiam firmare videtur, tempus nempe non mortis sed diuisionis in eruenda portione, quae in heredem a superstite parente institutum conferenda est, spectandum esse, colloco argumentum in indole communionis nostrae, perpetuae videlicet, neque ad mortem superstitis suspensae. Nullibi autem cautum me legisse memini, itam societatem morte extingui. Hinc utroque parente defuncto communio tamdiu inter filios perpetuatur liberos, quamdiu de herceto ciundo nihil inter eosdem conuenit, quamuis non uno eodem modo. Nam superstite ab intellectato decedente,

con-

folglich die Meinung derjenigen I^ctorum Platz zu haben scheinet, welche davor halten, daß die Kinder sodann auch post mortem superstitis coniugis zu dessen Succession, wenigenstens ratione des Pflicht-Theiles zu admittiren;

GODDAEVS in Consil. Marpurg. Vol. I. conf. 26.

welcher absque omni onere gelassen werden muß

I. 32. C. de inoff. test. CARPZ. P. III. cap. VII. D. 24.

§ Conſt XII. D. 7. MOLLER ſemeſtr. Libr. III. C. 2.
STRVV. Exerc. ad ff. 10. tb. 20.

D. a. u. d. des überlebenden Ehe-Gatten bona mit des abgelebten Vermoeegen bey dergleichen Theilung in eine Massam gebracht wird, von welcher so dann denen Kindern die Heifte zukommet. inthin diese auf solche Art in der That die Legitiman von beyder Eltern Vermoeegen zugleich und auf ewimahl erhalten,

CRVSIUS ad I. Statut. Mind. Lib. II. tit. 2. a. 18. d. 2.
folglich die Halbscheid, darzumahlen zu welcher auch diejenigen bona, welche durante viduitate a coniuge superstite ac-
qui-

consortes liberi vniuersum omnino patrimonium communionis lege coniunctim possident, & plenum ius proprietatis acquirunt, quodsi autem viduus parens testatus fuerit, & sic supremum obierit diem, eius portionem sibi vindicare nequeunt. Iam vero cum isthaec portio residueat etiam post obitum testatoris in bonis communioni subiectis, quoisque per divisionem non separata est, sequitur quoque, quantitatem illius non nisi ex tempore divisionis esse aestimandam.

§. XXIV.

An matri viduae aequae ac patri viduo testari licent?

Hucusque de testandi facultate superstitis parentis differui, & quidem ita, vt nullam ratione sexus differentiam allegauerim. Forte hoc factum nonnulli criminabuntur: mihi contra recte fecisse videor, qui istam materiam

fine

quiriret vworden, bey dessen erfolgender andervveitiger Verheyrathung darzu gerechnet vworden, nicht vor eine bloße hereditatem defuncti anzusehen ift,

COTTMANN. Vol. V. Resp. V. n. 110.

Sondern vielmebr durch eine dergleichen Absonderung die Kinder, wenn sie einmahl legitime abgefunden sind, gaenzlich von der Familie und aller künftigen Erbschafft auch quoad legitimam ausgeschlossen vworden.

MEV. ad I. Lub. P. II. tit. I. art. 8. n. 13. sequi LYNKER
in Analect. ad Struu. tit. de liber. & posth. tb. 26. LV-
DEWIG Diff. de success coniug. C. 5. §. 1. sequi.

So sind wir des Rechtlichen Dafürhaltens, daß die Frage zu negiren.



finr discrimine pertractauerim, cum eam inter sexum differentiam non omnia aequa obseruent statuta, vt feminis testamentificationem vel adimant vel iisdem limitibus circumscribant, masculis vero testandi faultatem liberrimam concedant. Quapropter hanc generalem formare licebit conclusionem: viduae perinde ac viduo, in prorogata bonorum communione cum liberis viuenti, testamenti factio-
 nem esse tribuendam, nisi statuto eadem feminae negetur, vbi & mater ad illam perperam adspirabit. Quod igitur de Belgio monet FRANC. ZYPAEVS (a): *In aliquibus locis, feminis, vt sine marito contrahere non licet, ita nec testari: alibi & frequentius testari sine marito licet, et si non contra- here; per Germaniam quoque nostram obtinet.* Varia ergo variarum ciuitatum inspicienda sunt statutaria iura, vt, quicquid in hac causa enuntient, sequamur. Idcirco LVBECAE vidua arcenda erit ab huiusmodi testamentaria dispositione, & viduus solus, cum liberis in communione bonorum persistens, licite testabitur, ob ea quae de testamentificatione mulierum habentur Legum Patriarum Lib. II. tit. I. art. X. & XIV. Bremenium vero in Republica mulierem simpli- citer ab ordinanda ultima voluntate nequaquam exclusam esse, docet eiusdem Ciuitatis statutum XIII. vxori facultatem legandi restituens, quamuis ad tres ceteroquin optimas vestitus partes restrictam. Verum enim vero, cum il- lud statutum in fauorem solius mariti conditum esse con- stet, adeoque feminae durante matrimonio licentiam tri- buat

(a) *Not. Iur. Belg.* p. 182. Qualia statuta Galliae etiam & Italiae ex mo- ribus procul dubio Germanicis profecta recenset CHOPINVS de mori- Parif. Lib. II. tit. 4. de testam. n. 21.



buat de aliquibus duntaxat bonis per modum ultimae voluntatis disponendi, liberiorem sane viduae liberos habentis testandi facultatem esse, nullus ambigo. Immo hoc confirmari interpretatione visuali, qua proxime sequens statuti sanctio ad viduam extenditur, ex actis Senatus Bremensis probatum dedit V. C. HENR. LAMPE (b).

§. XXV.

Conclusio.

Atque hic abrumpimus filum, & colophonem imponimus praesenti Dissertationi, cuius materia cum diffusa sit, nec in Germania vniiformis, ob tot diuersorum locorum statuta hinc inde recepta, eo faciliorum inde veniam nobis pollicemur, si non omnia ut debant fuerint transacta: multa enim adhuc addi debuisse, multa etiam non omnibus quadrare locis, sponte atque lubenter confitemur: non pauca quoque minus accurate properante stilo scripta, immo & errata quaedam typographica, quod tamen nostra haud culpa cuenit, irrepsisse, docebit lectio. Interim candori nec non humanitati aequi cuiusvis lectoris haec omnia committo, qui certus esse poterit, nihil mihi gratius futurum, quam si placide erantem monuerit & in viam veritatis reduxerit. Sit memor illius, quod SCAEVOLA Ictus respondit: (a) *Nihil obesse, quod (quis) in syllaba errasset.* Quod restat, DEO TER OPTIMO MAXIMO immortales persoluo grates, pro clementissima studiorum directio-
ne, & gratia mihi hac vice largissime concessa. Adsit porro conatibus meis, & ut omnia in NOMINIS SVI gloriam PATRIAЕ-
QUE vergant incrementum, faxit.

FRATRI

(b) *D. de testamentificatione Bremensi Cap. II. §. 4.*
(a) *I. 54. ff. de manum, testam.*



FRATRI OPTIMO
GEORGIO FRIDERICO BVCHIOLTZ
SVMMORVM IN VTRQVE IVRE HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IOANNES AVGVSTVS BVCHHOLTZ

IVRIVM DOCTOR ET CAMERAE IMPERIALIS
ADVOCATVS.

Et si pro mutuo, qui inter nos subsistit, amore fraterno, de integritate animi mei TIBI, carissime Frater, nullum certe dubium esse possit, attamen cum nunc tandem venerit laeta, & a Parentibus venerandis, & a me dudum exoptata illa dies, quo TIBI ad summum in vtroque iure fastigium ascendere licet, non possum, quin publicum praeberem testimonium, TE que rogem, ut haec pauca Dissertationis TVAE adpendicem esse patiaris. Scilicet interius nunc gaudeo, postquam egregium iurisprudentiae patriae argumentum, accurata pariter serie ac discussione illorum solida, quae in eo difficultia videri poterant, abs TE uno elaboratum video, quod, nisi iamiam in pragmaticis laboribus, quibus, dum per semestre & quod excurrit spatium Wetzlariae commorari TIBI placuit, solertissi-

me



91

me incubuisti, talem, qualem TE optaui, deprehendissem, mihius eximios legalis scientiae TIBI paratos profectus sufficienter probasses, quod, inquam, abunde comprobat, TE in celeberrima Georgia Augusta non vano otio triuisse tempus, sed in euoluendis doctissimum virorum lucubrationibus ingenium exercuisse, tantosque operae in iuris disciplina nauiter collocatae adquisiuisse fructus, quibus aliquando paeclarissimae ac illustri patriae commodo inseruire queas. Age igitur, mi suauissime GEORGI, concende cathedram, solus & masculine defende dissertationem TVAM, & capesse destitutos TIBI, quibus mox TE ornatum videbo honores, quibusque de ex infimo cordis mei TIBI gratulor. Laetabitur impense Pater, venerandus ille Senex, ad quem efflorescentes ex ingenii TVI cultu honores, velut ex optima semente messis, in curae suae & impendiorum solatium sese diffundunt. Fac, vt nominis, quod Senatus inclytæ Academiae Ludouicianæ cum applausu iam TIBI imponet, mensuram, vbi vbi occasio tulerit, impleas, eamque, quam Patri summopere colendo indefessum iuris studium tam theoreticum quam practicum peperit gloriam famamque magnam, eadem & TV conserues, id quod gloriose posse & candide TE velle auguror. Quemadmodum Eiusdem vestigia hoc ipso laudabiliter premis, ita Eidem de Filio, qui optime de se semper conceptam spem, si non superat, saltem plenissime adimpleat, merito publice gratulor, atque vt fospites TVOS incolumesque ipse Sospes atque incolu-


M 2

mis




mis rursus salutes, a Deo supplex atque ex intimis
animi medullis precor. Caeterum TE rogo, vt, me ad
quaevis amoris fraterni officia nunquam non paratissi-
mum fore, persuasum TIBI habeas. En dextram fi-
demque ineam.

Scribebam Wetzlariae d. XVII. Nou.
an. MDCCCLXXII.



Errata,

- Pag. 4. lin. ult. loc. 13. -- leg. 18.
- 9. -- 20. -- vt vix credibile sit -- at vix credibile sit.
- 15. -- 13. -- aperiſſent -- aperiſſent.
- 19. -- 15. -- peperit -- pepererit.
- ibid. -- 19. scatulis -- statutis.
- 20. -- 7. -- communioneum -- communem.
- 23. -- 15. κοινωνειας -- κοινωνιας.
- 24. -- 10. -- liberis separatis -- liberis non separatis.
- 30. -- 14. -- interiuertunt -- inuertunt.



ULB Halle

004 087 81X

3



TA → D



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DISSE^RTATI^O IN AVGVRALIS
QVAESTIONEM
V ET QVATENVS PARENTI
SVPERSTITI
COMMVNIONE BONORVM VNIVERSALI
VM LIBERIS CONTINVATA ETIAMSI NVLLA
PRAECESSERIT EORVNDEM SEPARATIO
TESTARI LICEAT?
TRACTANS,
QVAM
LVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
OBTINENDIS
MMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS
IN AUDITORIO SOLLEMNI
AD D. XVII. NOV. CIO IOCC LXXII.
PVBLICAE PROCERV M ACADEMIAE
DISQVISITIONI
SVBMITTIT
ORGIVS FRIDERICVS BUCHHOLTZ
LVBECENSIS.

G I E S S A E,
apud IO. IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.

